

LINGUA LATINA

W. H. D. ROUSE

S. O. ANDREW

UC-NRLF



\$B 290.666



PUER ROMANUS

R. B. APPLETON


W. H. S. JONES

O X O N I I

E TYPOGRAFHEO CLARENDONIANO










Digitized by the Internet Archive
in 2007 with funding from
Microsoft Corporation

Photo Moscioni

Forum Rōmānum.

Frontispice.



LINGUA LATĪNA

PUER RŌMĀNUS

BY

R. B. APPLETON, M.A.

AND

W. H. S. JONES, M.A.

‘Est quod māne legās, est et quod vespere ; laetis
Sēria mīscuimus, temperiē ut placeant.’



OXFORD
AT THE CLARENDON PRESS
1913

OXFORD UNIVERSITY PRESS

LONDON EDINBURGH GLASGOW NEW YORK

TORONTO MELBOURNE BOMBAY

HUMPHREY MILFORD M.A.

PUBLISHER TO THE UNIVERSITY

THE VIKING
PRESS

PREFACE

THIS book is meant to fill the gap between a First Year Reader such as *Primus Annus* and the reading of an actual Latin author. It may be begun in the first term of the second year, but the authors themselves prefer to postpone its use until the second term of that year. It will thus probably carry one on until the end of the first term of the third year. Those who prefer to do so may even use it one term later than this. If it is begun in the second term of the second year it will be found advisable to spend the first term of that year in teaching the regular syntax constructions by purely oral work.

Although not a lengthy book, it will be found sufficient for three terms if plenty of conversation is based upon it. Those who feel so disposed may avail themselves of the exercises at the end, but a competent teacher will soon conduct conversations of his own based upon the narrative. This latter course is, indeed, essential to the success of the direct method. Which-ever course is followed, the actual reading of the narrative should be at a moderately quick pace, and it is essential that there should be sufficient rapid 'give and take' of conversation between the teacher and the class to maintain a lively interest throughout.

The syntax proceeds on a certain plan; one section is taken up after another and there is plenty of repetition. The book has been tried in the class-room and changed where experience showed that to be desirable. The subject-matter has been taken from ancient authors where it was possible, but the final form is the work of those whose names are on the title-page. Mr. Jones has been responsible for the first twenty-two pages.

The authors wish to acknowledge in no perfunctory manner the kindness of their colleague, Mr. E. Broome. With a readiness to help his friends which only they can fully appreciate, he has bestowed much skilful care upon the illustrations. These are an essential feature of this little book. They also wish most heartily to thank Mr. A. W. Spratt, Fellow and Tutor of St. Catharine's College, for his careful reading of the proofs.

Ego et vīta mea.

Ego dē mē ipsō, dē parentibus, dē frātre, dē sorōribus, dē amicis, dē omni meā vītā sum tibi nārrātūrus. Rōmānus sum puer, annōs nātus duodecim. Nōmina nostra ignōrās; sciō tē ignōrāre; nēmo enim tibi dixit. Nōmina igitur sine morā dīcam. Prīnum dē patre. Ille appellātūr Sextus Cornēlius Polliō. Sextus ipsum dēsignat, Cornēlius gentem, Polliō familiam. Itaque haec habet tria, praenōmen, nōmen, cōgnōmen. Nunc dē mātre dīcam. Illa nōminātur Terentia. Frātri praenōmen est Gāius; sorōrēs appellantur Prīma, Secunda, Tertia. Ego autem appellor Lūcius.

Quās rēs tū cottidiē facis, eās ego quoque faciō. Ē lectulō surgō, patrem, mātrem, frātrem, sorōrēs salvēre iubeō, edō, lūdō adsum, lūdō. In lūdō tamen—mirābile dictū—nōn lūdō sed discō. Magister enim, qui māxime est sevērus, neque mē sinit lūdere neque cēterōs puerōs. Si lūdimus, poenās damus. Heu! quantā sevēritate pūnit magister! Ego, o mē miserum, sciō quantā sevēritate pūniat! Rogāsne quid in lūdō faciāmus? Scribimus, recitāmus, poētās legimus. Rogāsne quōs legāmus poētās? Ego dīcam dum tū discis. Horāti, Vergili, Terenti legimus omnia opera. Quālēs hī fuerint, et quando vixerint, aliquandō fortāsse discēs. Post lūdum domum redeō. Ut gaudēo, ut gaudēmus omnēs, quotiēns ē lūdō alterō eximus et alterum lūdum petimus! Alterō

enim in lūdō, ut iam dīxi, discimus; alter lūdus etiam lūsus nōminātur.

Qui sīmus, mī amīce, iam nōvistī; quālēs sīmus partim scīs, partim nescīs; ubi habitēmus omnīnō Ignōrās. Heu! multa, immō vērō plūrima vel omnia Ignōrās. Opus longum mihi est prōpositum, Immō vērō longissimum. Dīcam enim dē Italia, dē Brundisiō, dē Rōmā, dē aliis terrīs urbibusque, dē militib⁹ nostris, dē magistratib⁹, dē pīncipe, dē cibō, dē vestimentīs, dē aedificiīs, dē omnibus rēbus hominibusque.

Pater meus est Brundisīnus; nam Brundisiū habitat. Magistratū tenet ille, nam Brundisium est mūnicipium in quō duo sunt magistratūs, qui duumvirī nōminantur. Pater igitur meus summō est honōre apud cīvēs Brundisīnōs.

Sed fortāsse negās tē scīre ubi sit mūnicipium Brundisium. Itaque iubeō tē spectāre tabulam; si spectābis, vidēbis ubi stet mūnicipium. Nōnne vidēs? Ecce in ultimō stat angulō Italiae, ad orientem versum. Oriēns ea est regiō ubi oritur sōl; occidēns ea est regiō ubi sōl occidit in oceānum; meridiēs ea ad quam sōl mediā hōrā diēi vertitur; septentriō vel septentriōnēs ita nōminatur, quod in eā parte caelī septem sīdera cōspiciuntur, quae septem triōnēs vocantur, hoc est, septem bovēs. Nōnnulli autem ursam appellant hoc signū.

Sed regiōnibus caelī relictis ad oppidum revertimus in quō habitāmus ego et pater et māter et cēteri. Domus nostra in viā māximā est sita, in qua viā habitant cīvēs nobiliōrēs. Domum intrās per iānuam, quae semper stat clausa nisi quis intrat. Si vīs intrāre, iānuam pultās. Quō factō ecce venit iānitor (is iānuam intus cūstōdit) et iānuam reserat. Iānuā reseratā in vestibulum īmus, deinde in ātrium; sic enim nōminātur aula. Mediō in

atrio est stagnum, impluvium nominatum, in quod pluviae cadunt et stagnum faciunt. Super impluvium nullum tectum est, sed spatium apertum quod compluvium vocant. Prope stagnum est aera; prope aeram stant Laras.

In atrio nos omnes diem agimus. At dormimus in cellis, quae multae sunt circum atrium aedificatae. Servi tamen ante portas cellarum dormiunt.

Post atrium est tablinum, quod est privatum patris conclave. Sunt autem binae fauces, alterae ex dextrâ, alterae ex sinistrâ, per quas in apertum aliquod spatiu*m*itur quod peristylum nominatur. Circum hoc peristylum alterae sunt cellae. Postremo est aliud conclave adiunctum, triclinium quod vocant; hic cenamus.


Nunc respondere mihi de domo interrogant:—dic mihi per quid domum intres. Cur sedet ianitor in cella? Cur ianuam pultas? Num ignoras? O puerum immemorem! Si ignoras, ego pro te respondere. Sed iube te attentus esse animo, ut discas omnia. Per ianuam intras domum; in cella sedet ianitor ut ianuam custodiat; pultas ianuam ut ianitor ianuam reseret. Tu iam respondere, si poteris. Cur est impluvium in atrio? Ubi dormiunt servi? Potesne mihi dicere cur isti dormiant?

Ludus.

Scisne quid sit ludus? Nonne tu quoque ludum frequentas?

Locus est, in quo litteras discimus. Proprius nominatur ludus litterarius. Alii enim sunt ludi; saltatorius, ubi discunt saltare, gladiatoriuss, ubi gladiatores pugnare discunt. Nos tamen, ego et amici mei, ludum frequentamus ut discamus litteras. Ante lucem ludum petimus, loculis lacerto sinistro suspensus, et servos vel paedagogos comitante.

DOMUS



- 1. Iānua. 2. Vēstibulum. 3. Ātrium. 4. Impluvium.
- 5. Āra. 6. Cellae vel Cubicula. 7. Tablīnum. 8. Fau ēs.
- 9. Peristȳlum. 10. Triclīnum.

Ōlim puer quidam ad portam lūdī hōs cecinit versiculōs :—

Quid tibi nōbiscum est, lūdī scelerāte magister,
invīsum pueris virginibusque caput?

Heu! audit magister ipse. Statim alterum iubet in umerōs eum sublevāre, alterum pedēs retinēre, dum ipse virgis caedit. Ego taceō, nē in mē quoque saeviat. Ō crūdelem magistrum! Nōn male Horātius magistrum suum dixit esse ‘plāgōsum’. Quot plāgās, quot verbera patrī cōgimur!

Magister in cathedrā solet sedēre, nōs circum eum sedēmus. Ē parietibus dependent tabulae; nōn procul in angulō stant capsae, in quibus libri poētarū servantur. Nōs discipulī dextrā tenēmus calamum, sinistrā aut papȳrum aut tabulam cērātam, quam in genū dēpōnimus ut scribāmus. Discimus scribēre, recitāre, ratiōnēs dūcere. Iam litterās Graecās et Latinās ā grammaticō didicimus; mox ā rhētore discam artem rhētoricām.

Plērumque poētās recitāmus, praesertim Horātium et Vergiliū. At scripторēs rērum nōn omittimus. Ōlim magister praeclāram nōbis recitāvit historiam, quam ego iterum recitābō.

Dē mīlite fortissimō sed ignōtō.

Imperātor Poenus in terrā Siciliā bellō Carthaginiensi prīmō contrā Rōmānōs pūgnāns locōs idōneōs prior occupat. Mīlitēs Rōmāni summā cum difficultātē ad locum pergunt periculōsum et insidiis obnoxium. Tribūnus quidam ad cōsulem venit ostenditque cito omnēs esse peritūrōs. ‘Imperā,’ inquit, ‘sī rem servāre vīs, ut quadringentī aliqui mīlitēs ad montem illum eant atque occupent. Hostēs ubi vīderint, fortissimus quisque in illōs praevertētur, atque illī sine dubiō quadringentī occi-

dentur. Sed occupatis hostibus in ea caede, exercitum ex hoc loco educere poteris. Alia via salutis nulla est.' 'Sed istos,' inquit, 'quadringtonos ad eum locum quisnam erit qui ducat?' 'Si alium,' inquit tribunus, 'neminem habes, ego ducam. Hanc meam tibi et reipublicae animam do.' Consul tribuno gratias agit; tribunus et quadringtoni proficiscuntur. Loco occupato Romani milites circumveniuntur, circumventi repugnant. Interēa consul Romanum exercitum in locos tutos subducit. Di immortales tribuno militum dignam dedērunt fortūnam. Nam multis volneribus saucius inter mortuos cognitus est. Convaluīt, et saepe posteā reipublicae serviit. Multi alii bene de reipublicā meritī signis, statuis, monumentis ob virtutem decorantur; illius tribuni haud minor est laus; nē nōmen quidem usque ad nōs permānsit.

Cēna.

Herī pater meus amicos suos ad cēnam vocavit. Nōnā hōrā adveniunt convivae, in quibus erant senatores duo Romani, et ipse consul, vir summae dignitatis. Omnes a servis dēducuntur in atrium; illinc in triclinium, ubi cēnātur. Ego tamen nōn comitor convivās; quam vellem cēnae adfuisse! Sed pueris in triclinio nullus est locus; viris solum cēnae illae splendidae parari solent. Prōmisit tamen mihi pater mē mēnsis secundis adfore ut aliquid ex poētis dēclāmārem. Multa enim et pulchra didicī carmina.

Primum mēnsis impositus est gustus, quō magis edere cuperent convivae. Deinde (recta enim erat cēna) multa alia inferuntur fercula, ut piscēs, capōnes, aper; neque aberant lactūca, brassica, pānis. Quibus omnibus cōsumptis, continuo secundae mēnsae appōnuntur.

Nunc tandem mē petit servus et ut carmen dēclāmem

intrōducit. Statim sequor nōn sine spē praemī ; carmine enim recitatō quis praemium mihi neget? Ingrēssus triclinium vīdī convivās ordine positōs. Trēs erant lectī, quōs ita dispositōs vīdī :—Medium, summum ad dextram, īmum ad sinistram. In unō quōque lectō trēs convivae accumbēbant, quōs ita ā dextrā numerō :—summi lectī summum medium īmum ; mediī lectī summum medium īmum ; īmī lectī summum medium īmum. His vīsīs convivās salūtō, salutātisque prope iānuam stō et patris iūssa exspectō. Ille cum rīsū exclāmat ‘En dēclāmātor noster! Recitā nōbis aliquid, mī Lūci; nam magister tuus dīcit tē optimē dēclāmāre posse’. Hōc dictō omnēs in mē oculōs convertunt, et ego carmen Catullī haud ignōtum recitō. Scis dē quō Catullus loquātur ; dē Lesbiae passere.

Lūgēte, ō Venerēs Cupidinēsque ;
passer mortuus est meae puellae,
passer, dēliciae meae puellae,
quem plūs illa oculis suis amābat :
nam mellitus erat suamque nōrat
ipsam tam bene quam puella mātrem.
nec sēsē ā gremiō illius movēbat,
sed circumsiliens modo hūc, modo illūc,
ad sōlam dominam usque pīpilābat.
qui nunc it per iter tenebricōsum
illūc, unde negant redīre quemquam.
at vōbīs male sit, malae tenebrae
Orcī, quae omnia bella dēvorātis :
tam bellum mihi passerem abstulisti.
vae factum male! vae miselle passer,
tuā nunc operā meae puellae
flēndō turgidulī rubent ocelli.

Imus	Medius	Summus
------	--------	--------

Medius lectus

Summus

Medius

Imus

Imus lectus

M E N S A

Summus

Medius

Imus

Imus

Medius

Summus



Cyathus



Amphora



Cyathus



Cratér

Ad haec omnēs, ‘Optimē’ clāmant, ‘dēclāmās.’ Et convīva quīdam ‘Putō’, inquit, ‘istum puerum, Cornēlī, poētam ipsum futūrum esse. At aliud dēclāmet, precor: dulcē enim vōce est praeditus.’ Hīs laudib⁹s arrēctus, illud quoque carmen dēclāmō.

Issa est passere nēquior Catulli,
Issa est pūrior ūsculō columbae,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est cārior Indicis lapillis,
Issa est dēliciae catella Pūbli.
hanc tū, sī queritur, loquī putābis:
sentit trīstitiamque gaudiumque.
collō nīxa cubat capitque somnōs,
ut suspīria nūlla sentiantur.
hanc nē lūx rapiat suprēma tōtam,
pictā Pūblius exprimit tabellā,
in quā tam similem vidēbis Issam,
ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam dēnique pōne cum tabellā:
aut utramque putābis esse vēram,
aut utramque putābis esse pictam.

Iterum plaudunt omnēs, negant tamen sē sc̄ire ā quō carmen scriptum sit. Rogant num Mārtialis sit carmen. Ego aiō; tum crustulīs aliisque dēlectāmentīs onerātus exeō.

Iter.

Brundisium reliquimus; nunc Rōmae habitāmus. Quantulā sententiā quantam rērum mūtatiōnem comprehendī! sed idem ego sum qui anteā; Idem Rōmae sum qui Brundisiū eram. Quid enim dicit Horātius?

Caelum nōn animum mūtant qui trāns mare currunt.
Sc̄ilicet pater meus Rōmam ā Caesare arcessītus est;

intrā triduum imperātum est ut proficisci erētur. Relinquendū erat Brundisium, domus relinquenda dē quā dīcēbam, iter longum faciendum.

Summā celeritāte impedimenta collēgimus, collectisque discessimus, alii rēdis vectī, alii equis; impedimenta autem servi mūlis imposuerunt. Muli enim clittellās portant, in quibus repōnimus impedimenta.

Longum est iter Brundisiō Rōmam; distant enim inter sē mīlia passuum trecenta quīnquāgintā septem. Hoc est iter diērum quīndecim sēdecimve. Cottidiē autem sub noctem ad dēversōrium aliquod dēvertimus ut pernoctēmus.

Quot loca nova adī, quot dēversōria! et in unō quoque dēversōriō est caupo, aliis benignus, aliis malignus. Advenientēs excipiunt, abeuntēs dimittunt, nōn sine rixā aliquandō. Prīnum iter est imbribus corruptum; unde factum est ut lutō morati fessique Rubos post quadrūdū dēnum pervenerimus. Postridiē Canusium vectī sumus, ubi pānis quam māximē est lapidōsus. Inter pānem illum et lapidem vix quicquam interest. Aliter autem rēs sē habet in eō oppidulō, ad quod sextō diē pervenimus, cūius nōmen memoriā excidit; hic enim pānis est pulcherrimus, sed aqua, rērum vīlissima, pretiō vēnit. Hic quoque mūli clittellī liberantur, et ad dēversōrium dēvertimus, ut aliquantulum requiēscerēmus. Ego et frāter lūsum imus, pater et māter dormītum. Semper equidem mīror, quam ob rem hominēs adultī tantō opere ament somnōs. Quantō enim melior est lūsus!

Posterō diē Trivīcum advēnimus, ubi nūllum erat dēversōrium, sed villa cūiusdam amici nōs excēpit. Deinde per montēs rēcta viā Beneventum vēnimus. Hic locus dignum sē nōmine suō propriō dēmonstrāvit. Est enim nōmen eius rē vērā fatāle et inauspicātum Maleventum, et

nōs rē vērā malō sumus ventō oppositi. Nempe hospes noster in dēversōriō cēnam nōbis sēdulō in culinā parābat; turdōs pinguissimōs in ignī versābat; subitō malus ille ventus corripuit flammam, flamma per veterem culinam dēlapsa summum tēctum lambere properābat, et ipse hospes paene ārsit. Turbātur per domum, clāmātur, ululātur. Convīvae avidi rapere cēnam ex periculō, servi aquam afferre ad flammās extingueādās, nōs rīdere omnia. Cēnam ēdimus sēmiūstam.

Post haec Capuam pervenimus, ubi lūsum iimus ego et frāter; pilā lūsimus tōtā hōrā. Pilā lūdimus hōc modō. Stant in tribus angulīs trēs lūsōrēs, quōrum ūnus quisque pilam tenet; pilāsque quō quisque volt mittunt. Ubi lāpsa ex manibus cadit pila, yitium est. Peritiorēs lūdendī et dextrā et laevā excipere possunt, sed quis potest ūnā trēs excipere? Id quod et mihi accidit. Ūnam enim dextrā excēpi, alteram laevā, tertia medium nāsum contigit; unde factum est ut et sanguis efflūxerit, et fīnis lūdī sit factus.

Ubi postridie iter iterum incēpimus, pater meus, homo doctissimus, multa dē Hannibale nōbis disseruit; id quod et mihi et frātri valde displicuit; num enim rēda lūdus litterārius? Num pater Orbilius ille, cūius ferulae manum subdūxit Horātius? Quippe nōs digitis micāre cupiēbāmus, ille autem semper dē Hannibale. Quid ad nōs Hannibal? Quid si ūnam hiemem Capuae trīvit, quid si militēs eius mollēs facti sunt luxuriā? Quid si vicit eum Q. Fabius Māximus cūntātor? In descendō nōs quoque cūntātōrēs sumus. Si ille cūntandō restituit rem pūblicam, nōs cūntandō vincimus ipsum cūntātōrem.

Ubi fīnis docendī est factus, iam licuit digitis micāre. Lūdimus hōc modō. Alter subitō manum erigit, erēctaque manū digitōs aliquot modo extendit modo comprimit;

alterius est dicere quot digitos extenderit. Hoc die nos
itineris pertaesum est propter Hannibalem.

Deinde viā Appiā per Sinuessam, ubi primum vidi mus
mare Tyrrhenum, tendimus Formiās, mox per oram
maritimam, dēnique tendimus Fundōs, ubi noctem perēgi-
mus. Fundis a prefecto salutati sumus, homine (ut
vidēbatur) insānō; nam ita gloriōsus erat ut speciem
praetoris p̄ae sē ferret. Fundi enim prefectura est, nōn
mūnicipium; ille autem nōmen praetoris sibi arrogāvit.
Aderat igitur togā praetextā et lāto clāvō indūtus. O rem
ridiculam! O hominem vānum!

Ubi Fundis discessimus, ridēbamusque hominis gloriā
ac vānitātem, māter nostra, ‘Heus vōs,’ inquit, ‘voltisne
fābulam vōbis dē grāculō dicam?’ Cuī ego, ‘Dīc, precor,’
inquam, ‘dīc, dummodo nōn sit cōgnātus Hannibalīs.’ At
māter, ‘Favēte,’ inquit, ‘linguis, et audiētis. Iūppiter
rēgem avium creāre cum vellet, certō diē conventum
avium indixit, quō omnēs adessent, isque avem omnium
fōrmōsissimam praeficeret rēgem. Tum grāculus, dēfōrmī-
tati suae diffīsus, nemora atque arva peragrāvit, plū-
māsque quās pulcherrimās ubique vidēbat collectās sibi
circumposuit. Ita pāvōnis aliārumque avium plūmis
fōrmōsissimus omnium est factus. Diēs indictus advenit,
avēisque omnēs ad Iovem advolant. Neque aberat ipse
grāculus, variō plūmārum colōre splendidissimus. Iam
Iūppiter hunc rēgem erat factūrus, ut omnium dīgnis-
simum, sed cēterae irātae propriam singulae plūmam ei
abstulerunt; isque ita nūdātus iterum grāculus, ut ante,
factus est.’

Quā dictā fābulā, ‘Cūr,’ inquit frāter, ‘fōrmōsissimum
Iūppiter factūrus erat rēgem? Nōnne dīgnior rēgnō erat
fortissimus atque prūdentissimus?’ Tum ego, ‘Sed quis,’
inquam, ‘creātus est rēx?’ Sed illa ‘Nōlīte’ inquit

'nimis multa rogāre. Fābula dēmōnstrat quam ineptum sit aliōrum virtūtēs sibi arrogāre, ut facit ille praefectus. Sed satis collocūti sumus; ecce, Ānxur!' Tum vidēmus oppidum saxīs lātē cādēntib⁹ impositum, unde per canālem lintre iter erat faciendum.

Oppidum erat nautis et caupōnibus dīffertum. Quanta convicia inter puerōs nautāsque! Aes exigitur, mūla adligātur: 'Hūc appelle lintrem! Propius, propius, nē in aquam dēcidāmus! Quid? Trecentōs inseris? Lintrem dēmergēs, improbe! Ohē, iam satis est!' Sic tōta hōra abit. Ubi tandem cōnscedimus, rēpitque mūla per rīpam, malī culicēs palustrēsque rānae somnōs adimunt, dum nauta, qui lintrem gubernat, et viātor, qui mūlam dūcit, cantant mūtua. Tandem mūliō, fessus ac vīnō madidus, dormīre volt; mūlam pāstum ēmittit, retinācula saxō religat, supīnusque stertit.

Iam diēs aderat; expērgīscimur, et sentīmus lintrem nōn prōcēdere. Statim pater meus, homo cerebrōsus, prōsilit, ac nautae caput lumbōsque fuste dolat; et vix dēmum quartā hōrā ad Forum Appiī expōnimur.

Hinc profectī Rōmam pervenīmus, diē sextō decimō postquam Brundisiō exiimus.

Diē igitur sextō decimō iter dēmum cōfēcimus, namque, ut dīxi anteā, per trīdūm pīmūm imbribus erāmus oppressi. Sed Rōmam tandem laetī pervenīmus. Per portam Capēnam urbēm intrāmus. Quantam multitudinem hominū! Quot milites! Quantum clāmōrem! Crēdideram equidem similem fore Rōmam nostrō Brundisiō. Sed inter aliās urbēs tantum effert caput quantum quercus inter dūmēta.

Ad portam Capēnam omnibus est dēscendendum ab equis carriſque; per viās enim urbīs equis rēdīſque vehī noctū quidem licet, diē nōn licet. Nōbis tamen licuit,

quia pater meus magistratus est summae dignitatis. Ve-
himur igitur praeter Circum Māximum ad pontem
Tiberīnum, deinde relictō ponte per arborēs Iānicu-
lum ascendimus, ubi amīcus patris mei domum māgnificam
habet. Intrāmus, salūtāmus et salūtāmur, ad
cēnam vocāmur; cēnāti in hortōs exīmus ut ā summō
monte urbem spectēmus. Admirantibus nōbis hospes
noster versūs dēclāmat, quōs poēta clārissimus dē villā
suā composit. Audīte.

Iūlī iūgera pauca Mārtiālis,
hortis Hesperidum bēatiōra,
longō Iāniculī iugō recumbunt.
hinc septem dominōs vidēre montēs
et tōtam licet aestimāre Rōmam,
Albānōs quoque Tusculōsque collēs,
Fidēnās veterēs brevēsque Rubrās.
illinc Flāminiae Salāriaeque
gestātor patet essēdō tacente,
nē blandō rota sit molesta somnō,
quem nec rumpere nauticus tumultus,
nec clāmor valet helciāriōrum,
cum sit tam prope Mulvius, sacrumque
lapsae per Tiberim volent carīnae.
hoc rūs, seu potius domus vocanda est,
commendat dominus; tuam putābis,
tam nōn invida tamque liberālis
tam cōmī patet hospitālitātē.

Nōnne sunt summā arte compositi, summō ingenio? Post-
quam hospes dēclāmāvit, omnēs plausimus; deinde redī-
mus dormītum, quia tam longō itinere fatigāti cupimus
ōtiō nostrō fruī, ut crās urbem proprius spectēmus.

Rōma.


Longum est omnia, quae Rōmae sunt, dēscribere. In septem montibus aedificata est urbs Rōma; monte Palātinō, monte Aventinō, monte Capitōlinō, colle Quirinālī, colle Viminālī, monte Esquilinō, monte Caeliō. Quōrum cūr duo sint collēs nōminātī, quīnque montēs, nesciō equidem. Trāns Tiberim sunt etiam Iāniculum et mōns Vāticānus. Inter Palātinum, Capitōlinum, Esquilinum, situm est Forum. In monte Palātinō erat p̄ima urbs, quam nōminant Rōmam quadrātam, cūiis mūrus adhuc manet.

Hēri in Forum dēscendimus. Hīc ad īsum Palātinum vīdimus Ātrium Vestae. In Forō sunt ā sinistrā tabernae veterēs, ā dextrā tabernae novae; in mediō lacus Curtius, in quem iuvenis ille nōbilis dēsiluit, ut patriam moriendō servāret. Adversa autem cōspicimus rostra, quae pulpita sunt ex quibus orātōrēs orātiōnēs habent ad populum. Circum Forum alia sunt aedificia: Cūria, in quā dēliberat senātus; Rēgia, in quā habitat Pontifex Maximus; trēs Basilicae, Porcia, Aemilia, Iūlia. In Basilicēs iūdicia conveniunt, negōtiātōrēs rem agunt.

Hinc per Viām Sacram ascenditur in Capitōlium. Hāc viā triumphantes vehūntur ducēs, ut grātiās agant Iovī Capitōlinō. Habet Capitōlium duo capita; in alterō templum est Iovis, in alterō Arx.

Inter Viminālem et Esquilinū est Subūra. Hīc habitant plebēi; viri autem lautissimi in Palātinō. Sunt alia quoque fora; forum Iūli, quod fēcit C. Iūlius Caesar, et forum Augusti, quae duo cum forō Rōmānō tria sunt fora māxima; sed est et forum holitōrium, ubi holera vendunt, et forum boārium, in quō bovis est statua māgna.

RÖMA



Ut tria sunt fora, sic tria theātra in quibus lūdōs scaenicōs spectāmus. In Circō Māximō cursūs sunt equōrum, in Amphitheātrō gladiātōrēs inter se pūgnant. In thermīs balneisque lavāmur.

Sed dē his longum est nārrāre; haec hāctenus! Vereor enim nē tē tantum Rōmae taedeat quantum mē Hannibalis.

Dum per urbem ambulō, vīdī in Vīcō Tuscō domum spatiōsam atque māgnificam, cūius ad frontem erat titulus hūiusmodi :

DOMVS HAEC
LOCĀTVR
EX KALENDĪS IVLĪS
CONDVCTOR CONVENITŌ BALBVM
M. FRONTŌNIS SERVVM.

Dum haec perlegō rīsit aliquis ex comitibus. Cui ego ‘Quid rīdes?’ inquam. At ille ‘Num Ignōrās’ inquit ‘infāmem esse hanc domum? Mānēs enim hīc habitant. Per silentium noctis sonus ferrī auditur et strepitus vinculōrum. Mox appāret simulācrum, senex prōmissā barbā et horrentī capillō et crūribus et manibus catēnās ferreās gerit quatitque. Incolae terrōre perculti tōtā nocte vigilant; unde morbus insequitur, crēscente autem timōre, mors etiam. Inde dēserta stat domus, ut vidēs, tōtaque illi mōnstrō relictā. Prōscriptis tamen M. Frontō, vir callidissimus, si quis tantī malī ignārus condūcere velit’.

Post aliquot diēs dum per vīcum eundem ambulāmus, titulum dēreptum vīdimus, iānuam apertam; audīvimus philosophum aliquem condūxisse. ‘Ō stultum!’ inquam, ‘mox eum temeritatis paenitebit.’ ‘Immō vērō’ inquit comes ‘dē omnibus certior est factus. Nam cum audīvisset, quantula esset pēnsiō, vīlitātem suspicātus, tantō acūmine singula quaerit ut dēcipi nōn possit; sed nihilominus, Immō tantō magis condūcit.’ At ego, ‘Vereor tamen nē hominem

ITALIA



1. Brundisium. 2. Rubī. 3. Canusium. 4. Trivīcum. 5. Beneventum.
6. Capua. 7. Sinuessa. 8. Formiae. 9. Fundī. 10. Ānxur. 11. Forum Appiī. 12. Rōma.

paeniteat aliquandō.' Abīmus, et quid ēventūrum sit exspectāmus.

Postridiē nōn cēssāmus adīre domum ; turba adest māxima, fūnus dūcitur, nēniās canunt, exsequiās eunt omnēs. 'Nōnne dīxi' inquam 'fore ut paenitēret philosophum illum temeritatis ? Herī domum condūxit, hodie sepelītur'. Statim ex turbā 'Favē linguā' exclāmat aliquis 'vīvit enim adhūc philosophus, et ipse hominem sepelit'. Tunc ego admirātus 'Quid ergō' inquam 'factum est, bone vir ?' Ille in hunc modum respondet: 'Ubi ad vesperāscere coepit iubet sternī sibi in prīmā domūs parte, poscit cērās, stilum, lūmen ; suōs omnēs in interiōra dīmittit ; ipse ad scribendum oculōs, manum, animum intendit, ne vacua mēns simulācra et inānēs metūs fingeret. Initiō nihil nisi silentium noctis ; dein concutī ferrum, vincula movēri. Ille nōn tollere oculōs, nōn remittere stilum, sed firmāre animum. Tum crēbrēscere fragor, adventāre, āc iam est in līmine, iam ut intrā līmen audīri. Respicit ; videt agnōscitque narrātam sibi effigiem. Illa stābat innuēbatque digitō, similis vocantī ; hic rūrsus cēris et stilo incumbit. Illa scribentis capitī catēnās insonābat ; hic rūrsus respicit, videt idem quod anteā innuentem, nec morātus tollit lūmen et sequitur. Ibat illa lentō gradū, quasi gravis vinculis ; postquam dēflexit in āream domūs, repente dilāpsa est in aurās. Hic autem locum effodit ; inveniuntur ossa catēnis inserta atque implicita, quae collecta iam sepieliuntur.' Quibus auditīs, exclāmō 'Et sunt tamen qui negent esse mānēs. Adeant igitur, et discant ab expertis'.

Nocturna Lemūria.

Domum reversus patrem rogāvī num et apud nōs essent mānēs. 'Nōn putō esse' respondit, 'namque domō nostrā quotannīs omnēs eiciō.' 'Mānēs eicis, o pater !'

exclāmāvī. ‘Immō hodie’ inquit ‘ēiciam ; ēiciendī enim sunt a. d. VII Idūs Māiās—Māius sc̄ilicet mēnsis ā nōmine māiōrum dūcitur—et dum tū in lectulō dormīs ego mediā nocte sacra quaedam, quae Nocturna Lemūria appellantur, celebrābō, nē ullae lārvae apud nōs habitent.’ Quae cum audīvissem mātrem ūrāvī ut ad medianam noctem mihi pervigilāre licēret, ut patrem vidērem haec sacra agentem ; māterque benigna veniam mihi dedit. Nunc igitur quod vīdī vōbīs nārrābō. Nam pater, veteris memor ritūs, mediā nocte surgit, nūdīisque pedibus per domum ambulat. Extentā dextrā signum sacrum dedit, nē lārvae occurreret; signum fēcit hōc modō—salūtārī digitō minimōque extēntis, medium et minimō proximum pollice iunctōs in palmam dēpressit. Deinde manus lāvit pūrās atque septem fabās nigrās orī imposuit, aliāsque fabās, voltū āversō, suprā umerum iēcit ; sed dum iacit

‘Hīs’ inquit, ‘redimō mēque meōsque fabīs’.

Noviēns hunc dixit versum, neque respēxit ; fabās umbra putātur colligere, et, nūllō vidente, hominem ā tergō sequī. Ubi rūrsus aquā pater sē lūstrāvit et aere tinnitum fēcit, ūrāvit ut umbrae ē tēctis suīs exīrent. Noviēns clāmāvit ‘Mānēs exīte paternī’ ; tum dēnum respēxit et sacra rīte sunt perācta.

Dē mānibus.

Etenim poētae docent esse mānēs, nam meminī mē hoc carmen apud Propertium lēgissee :—

Sunt aliquid mānēs, lētum nōn omnia fīnit,

lūridaque ēvictōs effugit umbra rogōs.

Cynthia namque meō vīsa est incumbere fulcrō,

murmur ad extrēmae nūper humāta viae :

cum mihi somnus ab exsequiīs pendēret amōris,

et quererer lectī frīgida rēgna meī.

eōsdem habuit sēcum, quibus est elāta capillīs,
eōsdem oculōs, laterī vestis adūsta fuit.
et solitum digitō bēryllon adēderat ignis,
summaque Lēthaeus triverat ūra liquor :
spirantisque animōs, et vōcem misit, at illi
pollicibus fragilēs increpuēre manūs.

Condiscipulī tamen meī nōnnumquam mē irrident quod
cōnfitear mē crēdere esse mānēs ; eīs autem versūs Horāti
commemorō.

Somnia, terrōrēs magicōs, mīracula, sāgās,
nocturnōs lemures portentaque Thessala rīdēs ?

Immō vērō patrem iterum rogāvī quid ipse dē mānibus
rē vērā cōnsēret. ‘Haud sciō’ respondit ‘an mānēs rē
vērā sint. Erat enim mihi quondam amīcus pauper, ē
puerō claudus, qui rūri habitābat. Ōlim advena quīdam
forēs vesperī pulsāvit ; pauper ille iūssit alterum intrāre,
qui intrāvit vīnumque poposcit ; ille ḍrāvit hunc ut ipse
cyathum quaereret, sē enim quippe qui claudus esset
cyathum quaerere nōn posse. Advena igitur rogāvit
quamdiū claudus esset, pauperque respondit sē ē puerō
fuisse. Cui advena “Possum” inquit “tē sānāre. Si
laurī frondēs vīnō hōc tuō imbūtās per complūrēs diēs
ēderis in prīstinam corporis valētūdinem redigēris ; sed
deōs praecipue cūrā rīte colās”. Quae praecepta amīcus
meus religiōsē secūtus mentem sānam, ut dīcitur, in
corpore sānō adeptus est. Hic advena palliō erat amictus
purpureō, quāle nēmo anteā illā in regiōne umquam vīderat;
neque quisquam ē praetereuntibus virum tālī habitū
amictum ūsquām post meridiem vīdit. Mihi saltem nōn
dubium est quīn imāgō fuerit.’

Dē somniīs.

Cum pater mihi hanc fābulam dixisset valdē gaudēbam quod ille quoque putābat esse mānēs. Sed quia cōgnōscere volebam quid dē somniīs cēsēret, rogāvī eum num somnia quoque essent vēra; qui mihi respondit vēra alia, alia falsa esse: ‘Nōnne meministī, mī filī,’ inquit ‘quid Vergilius scripserit?

Sunt geminae somniī portae, quārum altera fertur cornea, quā vēris facilis datur exitus umbrīs,
altera cādenti perfecta nitēns elephantō,
sed falsa ad caelum mittunt īsomnia mānēs.’

Ceterum ut bene intellegās nōnnūlla somnia vērum prae-dicere fābulam tibi nārrābō, sī modo attentō eris animō.

Somnium vērum.

‘Cum duo quīdam Arcades familiārēs iter ūnā facerent, et Megaram vēnissent, alter ad caupōnem, ad hospitem alter dēvertit. Uterque cēnātus cubitum iit; deinde ei qui erat in hospitiō alter vīsus est in somniī ūrāre ut subvenīret, quod sibi ā caupōne nex intenderētur.

Is pīmō perterritus somniō surrēxit; deinde cum sē collēgisset, idque vīsum prō nihilō habendum esse dūxisset, recubuit; tum dormientī idem ille vīsus est ūrāre nē, cum sibi vīvō nōn subvēnisset, mortem suam inultam esse paterētur; sē interfectum in plaustrum ā caupōne esse cōiectum, et suprā iniectum stercus. Petiit ut māne ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppidō exīret. Hōc iam somniō commōtus māne bubulcō obvius fit ad portam; quaerit ex eō quid in plaustrō esset. Ille perterritus fūgit; mortuus ērutus est; caupō rē patefactā poenās dedit.’

Quā auditā fābulā frāter meus dīxit sē prōverbium—
‘Nōn omnēs stertentēs dormiunt’ audiisse, nescīre tamen
quid significāret; cui pater ‘Hoc quoque’, inquit, ‘alte-
rum nārrandō somnium expōnere tibi possum,’ statimque
hoc nārrat somnium.

Trium somniantium fābula facēta.

Ōlim trēs comitēs, quōrum duo mercātōrēs urbāni,
tertius rūsticus quīdam erat, ad templum quoddam nūminis
colendī causā profecti sunt; quibus prōgredientibus
viātica dēficere incipiēbant. Mox ad tantam inopiam
rēdacti sunt ut vix quicquam farris manēret. Quae cum
urbāni illi callidi intellegenter hōc modō inter sē colloquēbantur.
‘Parum pānis iam nōbis restat; comes
tamen noster edendō nimis indulget, quāpropter necesse
est cōsilium inīre quō sī quid habēmus eō insciō edāmus.’
Cum igitur pānem aquā sparsum manibusque tractātum,
prope ignem, ut coquerētur, posuissent, rūsticum illum
dēcipere cōstituērunt atque hōc modō eum allocūtī sunt:
‘Omnēs statim dormiāmus, sitque pānis ei praemium qui
ex nōbis somnium viderit mīrabilissimum.’ Quō pāctō
omnēs cubitum eunt. Rūsticus autem, fraudis aliquid
suspiciātus, pānem sēmicoctum ex ignī extractum sōlus
tōtum dēvorāvit, iterumque sē somnō dedit. Nōn ita
multō post alter negōtiātor, tamquam mīrabilī quōdam
somniō perterritus, surgere incēpit, alterīque negōtiātōrī
quam ob rem ita timēret rogantī, respondit: ‘Māgnō
terrōre māximāque ob somnium admiratiōne affectus
sum. Duo enim genitī mihi vidēbantur appropinquāre,
summāque cum laetitiā mē ad Ēlysium comportāre.’ Cui
comes ‘Mīrabile nīmīrum’ inquit, ‘somnium nārrās;

mirabilius tamen audi; namque ego duos percipiēbam
genios qui mē ad Tartarum portabant.'

Quae cum rūsticus ille audīret etiam tum dormīre simulabat; urbānī tamen ut dolus sibi bene prōcēderet eum excitāvērunt, qui, admirantī similis, callidē rogāvit 'Quis mē vocat?' Cui respondērunt urbānī 'Comitēs sumus tuī'. Quae cum audīvisset ille 'Quō modō' rogāvit 'iam redīvistis?' 'Numquam,' respondērunt, 'hinc abivimus; cūr reducēs vocās qui numquam abivimus?' Quibus rūsticus ille 'Genī duo', respondit, 'mihi vidēbantur alterum vestrum ad Ēlysium, ad Tartarum alterum auferre, et mēcum reputābam neutrum hūcreditūrum esse unde, ut poēta dīcit, negant redire quemquam; itaque ego experrēctus pānem tōtum sōlūs dēvorāvī.'

Quae cum audīvisset frāter meus dīxit sē iam intellegere quid significāret prōverbium: 'Nōn omnēs stertentēs dormiunt.'

Causae somniōrum.

Posterō diē, ut accidit, hanc sententiam apud Tullium in lūdō recitābāmus. 'Quae in vitā usūrpant hominēs, cōgitant, cūrant, vident, quaeque agunt vigilantes agitantque, ea cuīque in somnō, accidunt.'—Quae cum audīrem nōn poteram mē retinērē quīn puerum recitantem interpellārem magistrumque rogārem nūm rē vērā putāret hās esse somniōrum causās. Iste autem magister, interrogatiōne meā neglēctā, dīxit oportēre omnēs, dum alius recitat, tacēre, iūssitque mē hoc carmen ediscere memoriter:—

Omnia quae sēnsū volvuntur vōta diurnō,
pectore sōpītō reddit amīca quies.

venātor dēfessa torō cum membra repōnit,
mēns tamen ad silvās et sua lustra redit.
iūdicibus lītēs, aurīgæ somnia currūs,
vānaque nocturnīs mēta cavētur equis.
mē quoque Mūsārum studium sub nocte silenti
artibus assuētis sollicitare solet.

Carmen nunc memorīa teneō. Sed utrum magister
poētae cōsentiat necne nūllō modō invenīre possum.
Semper enim rogātus verba poētarum aliōrumve scriptō-
rum commemorat.

Equidem vērō putābam eum nescīre. Posterō igitur
diē, hōc carmine recitātō, iterum eum rogāvī quid rē vērā
ipse dē somniis cēsēret. Sed utinam nōn rogāvissem !
Mē miserum ! Iterum nihil respondit sed hoc alterum
carmen mihi ēdiscendum dedit.

Et quō quisque ferē studiō dēvīctus adhaeret
aut quibus in rēbus multum sumus ante morāti
atque in eā ratiōne fuit contenta magis mēns,
in somniis eadem plērumque vidēmur obīre ;
causidicī causās agere et compōnere lēgēs,
induperātōrēs pūgnāre ac proelia obīre,
nautae contractum cum ventis dēgere bellum.

Ō ! crūdēlem magistrum ! quam nimia est tibi poētarum
admirātiō !

Magister laqueō suō captus.

Interdum tamen et discipulīs nōbīs magistri haec tanta
poētarum admirātiō prōdest. Quid enim vōbīs accidat
nesciō, sed nōs saltem Rōmānōs puerōs sae penumerō
discere taedet priusquam finis sessiōni adsit. Ō quotiēns
lūdum frequentāmus ! Prīmā lūce ē lectulīs est surgen-

dum et quasi mediā nocte ad lūdum eundum. Ut lucernae,
quās nōbiscum portāmus, olent! Quam dēcolōrēs flunt
libri fūmō tot lucernārum! Nigra fūlīgo adhūc Marōnī
meō haeret! Ōlim plūs solitō discendī mē taedēbat—media
erat aestās et Sīrius ignibus torrentibus in caelō ardēbat—
hoc igitur cōnsilium iniī ut postrēmam sessiōnis partem
omittēremus. Magistrum māne lūdum intrantem rogāvī
num semper oportēret nōs praeceptis pārēre poetārum.
Ille aīt; itaque ego hoc Mārtialis carmen statim dēclā-
māre incēpi:—

Lūdī magister, parce simplici turbae;
sic tē frequentēs audiant capillati,
et dēlicatae diligat chorus mēnsae,
nec calculātor, nec notārius vēlox
māiore quisquam circulō corōnētur;
albae Leōne flammeō calent lūcēs,
tostamque fervēns Iūlius coquit messem:
cirrāta lōris horridis Scythae pellis,
quā vāpulāvit Marsyas Celaenaeus,
ferulaeque tristēs, sceptrā paedagōgorūm,
cessent, et Idūs dormiant in Octōbrēs:
aestāte puerī sī valent, satis discunt.

Quibus scilicet dēclāmātis versibus, ‘Quam cito’ inquit
magister, ‘tempus fugit! Rēctē scripsit Ovidius Nāso:—

Ipsa quoque assiduō labuntur tempora mōtū,
nōn secus āc flūmen; neque enim cōsistere flūmen
nec levīs hōra potest; sed ut unda impellitur undā,
urgēturque eadem veniēns urgetque priōrem,
tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
et nova sunt semper, nam quod fuit ante relictum est,
fitque quod haud fuerat, mōmentaque cūncta novantur.’

Hōs versūs recitāvit magister quia ōtium nōbis dare nōlēbat, sed nōn facere potuit (nē ā Martiāle praeclarissimō poēta abhorrebat) quīn lūsum nōs omnēs dīmitteret. Condiscipulī mei grātiās mihi ēgērunt quam māximās et valdē mihi grātulātī sunt quod tam callidum mē prae-stitissem. Immō vērō dixērunt mē cornicūm oculōs cōfīxisse.

Colloquium cum patre.

Eōdem diē, quoniam magister nīl mihi dē somniīs exposuerat, patrem vesperī iterum quaesīvī, quem in tablīnō invēnī. Rēbus nescioquibus occupātum esse vīdī, rogāvī tamen num mihi vacāret, et pater quamquam negōtiōsus erat, benīgnē mihi respondit ‘Quid vīs, mī filī?’—quantō benīgnior pater est magistrō!—Cū ego ‘Velim’ respondī, ‘iterum tē audīre dē somniīs loquen-tēm’. ‘Nunc autem nōn possum’ inquit pater ‘namque epistulam ad amīcum quendam scribō; sed, ut accidit, dē somniīs est epistula mea; tacē igitur et, cum scripserō, tibi recitābō’. Conticuī igitur, et librum quendam ē forulīs acceptum, dum pater scribit, legēbam. Paulō posteā hanc epistulam mihi recitāvit:—

Sex. Cornēlius Polliō Suētōniō Tranquillō Suō S.

‘Scribis tē perterritum somniō verērī nē quid in actiōne patiāris, rogās ut dīlātiōnem petam et pauculōs diēs, certē proximum, excūsem. Difficile est, sed experiar. Rēfert tamen, ēventūra soleās an contrāria somniāre. Mihi reputantī somnium meum istud, quod timēs tū, ēgregiam actiōnem portendere vidētur. Suscēperam causam Iūnī Pastōris, cum mihi quiēscentī visa est socrus mea advolūta genibus nē agerem obsecrāre. Et eram actūrus adulēscēntulus adhūc, eram in quadruplicē iūdiciō,

eram contrā potentissimōs civitatis atque etiam Caesaris amicōs, quae singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant. Prōsperē tamen cessit, atque ideō illa actiō mihi aurēs hominum, illa iānuam fāmae patefecit. Proinde dīspice, an tū quoque sub hōc exemplō somnium istud in bonum vertās, aut, si tūtius putās illud cautissimū cūiusque praeceptum: ‘Quod dubitēs, nō feceris,’ id ipsum rescrībe. Ego aliquam stropham inveniam agamque causam tuam, ut istam agere tū, cum volēs, possis. Est enim sānē alia ratiō tua, alia mea fuit. Nam iūdiciū centumvirāle differrī nullō modō, istud aegrē quidem, sed tamen potest. Vale.’

Recitatā hāc epistulā ‘Perquam, pater’ inquam, ‘velim sc̄ire, esse phantasmata et habēre propriam figūram nūmenque aliquod putēs an inānia et vāna ex metū nostrō imāginem accipere.’ ‘Ego ut esse crēdam’ respondit ‘in prīmīseō addūcor, quod audiō accidisse Curtiō Rūfō. Tenuis adhūc et obscūrus obtinenti Āfricam comes haeserat. Inclinātō diē spatiātūr in porticū; offertur ei mulieris figūra grandior hūmānā pulchriorque; perterritō Āfricam sē futūrōrum praenūntiam dixit; itūrum enim eum Rōmam honōrēsque gestūrum atque etiam cum summō imperiō in eandem prōvinciam reversūrum et moritūrum. Quae facta sunt omnia. Praetereā accēdentī Carthāginem ēgredientiique nāve eadem figūra in lītore occurrisse nārrātur. Ipse certē implicitus morbō futūra praeteritis, adversa secundis augurātus, spem salūtis, nullō suōrum dēspērante, prōiēcit.’

Māter mente turbāta irruit.

Patrem haec mihi nārrantem māter, quae māgnō cum impetu in tablinūm irruit, interpellāvit, atque ‘Cornēli’, inquit, ‘audīvistīne quid Dāvō frātriique ēius acciderit?’

(Dāvus est ūnus ē servis nostris qui eōdem in lectō cum frātre suō dormīre solet). Mīrabilem nārrat rem, neque facere possum quīn ei crēdam. Sed omnia ab initio tibi nārrābō. Hāc nocte cum frātre minōre, ut solet, eōdem in lectō quiēscēbat. Is vīsus est sibi cernere quendam in torō residentem admōtisque capitī suō cultrīs ex ipsō vertice capillōs amputantem. Somnium modo sē vidēre ratus iterum dormit. Sed brevī rūrsus simile alterum somnium priōri fidem fēcit. Nam vēnērunt per fenestrās (ut nārrat) in tunicīs albīs duo, cubantēmque frātrem dētondērunt et, quā vēnerant, recessērunt. Ubi inlūxit, ipse Dāvus circā verticem tōnsus, capillī iacentēs sunt reperti. Frātrem quoque tōnsum sparsōsque circā capillōs diēs ostendit.' Haec cum audīvissem vix facere potui quīn rīdērem, sed nē poenās darem simulāvī mē summō terrōre affici propter tam mīrabile somnium, māterque mē cubitum mīsit. Nēminī dīxi mē frātremque meum servōrum cubiculum per fenestrās intrāvisse atque iocī causā capillōs dētondisse.

Laqueō meō captus.

Sed dum in lectulō iaceō hunc in modum mēcum reputābam: 'Quicquid nocte accidit, omnēs putant aut somnium fuisse aut mānēs fēcisse,' dolumque hunc excōgitābam. Cōstituī persuādēre Mārcō, condiscipulō et aequālī meō, qui negat esse mānēs, ut in sepulerō quōdam ūnam noctem dormīret. Posterō diē cōnsilium meum cum frātre commūnicāvī, et Mārcus prōmisit sē in sepulcrō dormītūrum esse ut nōbīs dēmonstrāret mānēs nōn esse. Nocte igitur ad sepulerum Mārcus sē recēpit, ego et frāter haec parāvimus;—nigrīs amictī vestibus persōnās instar calvāriārum fīctas capitī imposuimus; quō habitū statim ad sepulcrum contendimus, circum quod sal-

tāre incēpimus. Sed tantum aberat ut Mārcus timēret ut, capite modo ē sepulcrō elātō, imperāret nōbis ut abīremus, neu ineptiās agerēmus. Spē dēiectī domum abīvimus, laqueō, ut prōverbium, nostrō captī.

Posterō diē nōnnullī convivae apud nōs cēnābant atque inter cēnam pater nārrābat quid Dāvō, servō nostrō, acci-disset. Deinde omnēs mīrabilia commemorāre incipiunt. Ūnus ē convivis mortuōs futūra portendere posse dīxit. ‘Nōnnumquam tamen’ inquit, ‘falsa portendunt, ut fābula dē Gabiēnō mōnstrat.’ Flāgitantibus omnibus ut fābulam dīceret, haec nārrāvit.

Fābula dē Gabiēnō.

‘Bellō Siculō Gabiēnus, Caesaris classiārius fortissimus, captus ā Sex. Pompēiō, iūssū eius incīsā cervīce et vix cohaerente, iacuit in litore tōtum diem. Deinde cum advesperāvisset, cum gemitū precibusque ē congregātā multitudine petiit ut Pompēius ad sē venīret, aut aliquem ex amicīs mitteret; sē enim ab inferīs remīssum, habēre quae nūntiāret. Misit plūrēs Pompēius ex amicīs, quibus Gabiēnus dīxit: Īferīs deīs placēre Pompēi causās et partes piās. Proinde ēventum futūrum quem optāret, hoc sē nūntiāre iūssum. Argūmentum fore vēritātis quod, perāctis mandātis, prōtinus exspīrātūrus esset. Idque ita ēvenit.’

Alia fābula inter cēnam nārrāta.

‘Sunt qui dicant,’ inquit aliis, ‘animam relictō corpore errāre solitam, multaque nūntiāre, quae nisi ā praesentī nōscī nō possint. Ē duōbus enim frātribus, equestris ordinis, Corfidiō māiōrī accidit ut vidērētur exspīrāsse; apertōque tēstāmentō minor hērēs ex asse

creatus fūnerī institit; interim is, qui vidēbatur extīnctus, plangentium sonitū concitus, dīxit a frātre sē vēnisse. Dēmōnstrāvit praetereā quō in locō aurum, nūllō cōsciō, dēfōdisset et ḫrāvit ut eis fūnebribus quae comparāta essent efferrētur. Quae cum dīxisset, frātris domestici nūntiāvērunt exanimātum illum, et aurum ubi dīixerat repertum est.

Convīvā hanc fābulam nārrante, pater cum omnēs animadvertisset fīnem fēcisse edendi; servōs iūssit tālōs et corōnās afferre. Quibus allātis, omnēs convīvae rosārum corōnās, quisque suam, capitibus impōnēbant; deinde tālōs ē fritillō iaciēdō rēgnū vīni, ut dīcitur, sortiri incipiēbant. Pater prīmus, quassātō fritillō, ‘Venus’ inquit, ‘exsiliat,’ sed iacentī ei ‘canis’ modo contigit; at ille ‘Quam rēctē’ exclāmat ‘Propertius scripsit:—

Mē quoque per tālōs Venerem quaerente secundōs
semper damnōsī subsiliūre canēs’!

tālōsque cum fritillō avō meō, qui proximus accumbēbat, dedit, cui Venus statim exsiluit. Hic igitur, arbiter bibendī creatus, servīs imperāvit ut diōtam Massici dēprōmerent. Itaque servī amphoram adportāvērunt tantā fūligine tēctam ut titulus nōn āgnōscī posset; corticem amphorae pice adstrictum dīmōvērunt, quadrīnumque merum in crātēram effūderunt, avumque meum, ut bibendī arbitrum, rogāvērunt quantum aquae adhibendum esset. Iūssū ēius merum cum aquā hāc ratiōne mīscuērunt:—novem merī cyathōs (cyathus mēnsūra, duodecima sextārii pars) cum tribus aquae mīscēbant—interdum inversā ratiōne trēs merī cyathōs cum novem aquae mīscēmus—deinde vīnum ē crātēra in cūiusque convīvae pōculum cyathīs infundunt.

Patruus meus aliquid nārrat.

Quibus paratis, Silius, patruus meus, ‘Nōn Luperci ritū, ut videtur,’ inquit, ‘nōbis est bibendum. Namque accidit ut homo minimē familiāris cēnārem apud istum, ut sibi vidēbatur, lautum et dīligentem, ut mihi, sordidum simul et sumptuōsum. Nam sibi et paucis opīma quaedam, ceteris vīlia et minūta pōnēbat. Vīnum etiam parvulis lagunculīs in tria genera dīscripserat, nōn ut potestās ēlīgendi, sed nē iūs esset recūsandī; aliud suīs et nōbis, aliud minōribus amīcīs (nam gradātim amīcos habet), aliud suīs nostrīsque libertīs. Animadvertis, qui ā mē proximus recumbēbat, et num probārem interrogāvit. Negāvi. ‘Tū ergō’ inquit, ‘quam cōnsuetūdinem sequeris?’ ‘Eadem omnibus pōnō; ad cēnam enim, nōn ad notam invitō, cūncīisque rēbus exaequō quōs mēnsā et torō aequāvi.’ ‘Etiamne libertōs?’ ‘Etiam; convīctōrēs enim tunc, nōn libertōs putō.’ Et ille: ‘Māgnō tibi cōnstat.’ ‘Minimē.’ ‘Qui fierī potest?’ ‘Quia scīlicet libertī mei nōn idem quod ego bibunt, sed idem ego quod libertī.’

Hōc tam facētē dictō omnēs plaudunt; iamque omnium sermōne laetitiāque convīvium celebrābātur. Deinde, alterā dēpromptā amphorā, pater meus nesciō quem orāvit ut fabulam de Thrasyllō nārrāret, qui, pōculō haustō, hunc in modum exorsus est.

Fābula dē Thrasyllō.

Thrasyllus valdē amābat Charitēn, eamque in mātri-mōniū dūcere cupiēbat. Hoc autem nullō modō facere poterat, nam Charitē Tlēpolemō cuīdam iam nūpserat, maritumque suum māximē dīligebat. Thrasyllus igitur

Tlepolemum, nullo cōsciō, interficere cōstituit. Hie quondam, comitante Thrasyllō, caprēas vēnātum profectus—neque enim ferōciōrēs ferās, dente vel cornū armātās, Charitē marītum suum quaerere patiēbatur—ad silvam dēssissimam cum canibus vēnāticis pervēnit. Repente ē mediā silvā immānis exsurgit aper, saetis inhōrentibus squalidus, dentibusque frendentibus spūmeus, et fortiorēs canum comminus aggrēssus, dentibus hāc illāc iactatīs lacerāvit interfēcitque; deinde calcatis rētibus, quae pīnum retinuerant impetum, effūgit et sēsē in fugam dedit. Quae cum ita gererentur, Thrasyllus fraudis occāsiōnem nactus, sic Tlepolemum compellat. ‘Quid hīc dubitāmus pavōre percūstī et tam opīmam praedam ē mediīs manib⁹ amīttimus? quīn equōs ascendimus? quīn ūcius instāmus? ēn cape vēnābulum et ego sūmam lanceam.’ Neque morāti prōtinus insiliunt equōs summō studiō aprum insequentēs. Prior Tlepolemus iaculum, quod gerēbat, insuper dorsum ferae contorsit. At Thrasyllus ferae quidem pepercit, sed equī, quō vehebātur Tlepolemus, postrēmōs poplītes lanceā amputat. Quadrupes dēlapsus, quā sānguis efflūxerat, tōtō tergō supinātus, invītus dominum suum ad terram dēvolvit; nec mora, sed eum ferōciissimus aper invādit iacentem, āc pīmō vestēs eius, mox ipsum resurgentem multō dente laniāvit. Nec coeptī nefāriī bonum piguit amīcum, sed Tlepolemō vulnerāta crūra contegentī, auxiliumque misere rogantī, per femur dexterum dīmisit lanceam; ipsam quoque feram facilī manū trānsfōdit. Ad hunc modum imperfectō dominō, servi eius, quisque ē suā latebrā, concurrērunt. At ille, quamquam, vōtī compos, et prōstrātō inimīcō, laetus agēbat, voltū tamen gaudium tegēbat, dolōremque simulābat, et cadāver, quod ipse strāverat, avidē complexus omnia quidem lūgentium

officia affinxit. Sic ad nostrī similitudinem, qui vēre lamentabāmur, maerōre fictō, manūs suaē culpam aprō dabant. Charitē autem simul atque audīvit marītum suum esse mortuum, summā celeritāte ad silvam contendit et tōtam sē super corpus effūdit; aegrē manibus suōrum ērepta domum rediit; saepenumerō Thrasyllus manūs ēius a pectore pulsandō āmovēre, lūctum sēdāre, blandis vōcibus dolōrem mulcēre frustrā cōnābātur. Sed officiis fūneris statim exactis, id prōtinus puella agēbat ut mortem quam celerrimē obīret ipsa. Crēderēs eam inediā velle vitam finīre; nihil enim edēbat, imīs in tenebris abscondita lūcem sōlis vitābat. Sed Thrasyllus tandem, adiuvantibus amīcis, ei persuāsit ut aliquantulum cibī ederet, neque corpus suum omnīnō neglegeret. Nec sē retinēre potuit quin flāgitaret eam, adhūc flentem marītum, adhūc vestēs lacerantem, capillōs adhūc distra-hentem, ut priōris marīti oblita sibi nūberet. Sed Charitē a nefandō prōpositō abhorruit, cōnābāturque efficere ut flāgitantem dēciperet. Tālia recordantī somniis umbra miserē trucidātī Tlēpolemī, saniē cruenta et pallōre dēfōrmis, surgere vidēbātur atque hunc in modum loqui. ‘Mea cōniux, vēri ut necem meam in Thrasyllō vindicēs, nam scelestus ille lanceā suā mē ad Orcum mīsit.’ Deinde omnibus rēbus patefactis umbra ēvānuit. Charitē tamen nēquissimum percussōrem pūnīre et miseriis vitae sēsē subtrahere cōstituit. Thrasyllum igitur primā vigiliā tacitum iūssit ad forēs suās accēdere nūllōque cōsciō domum intrāre. Placuit Thrasyllō hoc cōnsilium; nec fraudis aliquid suspicātus, sed spē sublātus, cubiculum irrēpsit, Charitēque ei vīnum sopōriferō venēnō immīxtum dedit, quō pōtū sopītum eum aggrēssa est, acūque ē crīnibus dēpromptā oculōs ēius volnerāvit prōrsusque cae-cum illum reliquit. Tunc nūdō gladiō arreptō per medium

urbem sē p̄cipuit ac prope mariti sepulcrum mortem sibi cōscivit. Thrasyllus vērō, omnibus rēbus cōgnitis, nūllō aliō modō sē tantum scelus expiāre posse ratus, nec tantō facinorū gladium sufficere, sponte suā ad sepulcrum sē recēpit et ‘En ultrō vōbis, infestī Mānēs, adest victima’, saepe clāmitāns, valvīs super sēsē diligenter obseratīs, inediā statuit finire vitam suā sententiā damnātam.

Simōnidēs poēta.

Quibus iam nārrātis alius quīdam dīxit fābulam dē Gabiēnō sibi in memoriam revocāvisse et aliam dē poētā Simōnidē fābulam, omnibusque flagitantibus ut nārrāret sīc incēpit: ‘Olim Simōnidēs, cum ad litus nāvem appulisset, inhumātumque corpus ibi inventum sepultūrā affēcisset, admonitus ab umbrā nē proximō diē nāvigāret, nam sī nāvigāset naufragiō esse peritūrum, in terrā remānsit. Quī inde solverant, flūctibus et procellis in cōspectū eius obruti sunt. Ipse gāvisus est, quod vitam suam somniō quam nāvi crēdere māluisset. Memor autem beneficii elegantissimō carmine virum celebrāvit, quō melius illī et diūturnius in animis hominum sepulcrum cōstituit quam quod in dēsertis arēnis strūxerat.’

Mihi quidem brevior haec fābula multō magis placuit quam illa dē Thrasyllō longior, neque mē retinēre poteram quīn ita dicerem. Quibus dictis, longiōris fābulae auctor dīxit oportēre puerulōs tacēre neque stultōs sē praestāre, cuī is qui dē Simōnidē nārrāverat ‘Interdum’ respondit, ‘etiam stultus bene loquitur’.

Comitēs Ulixis.

Hī igitur iūrgiō alius alium lacessere coepērunt neque multum aberat quīn ē iūrgiō rīxa orerētur. Itaque pater statim ‘Ulixem’ inquit, ‘trāditum est errantem, ēversō

iam Iliō, tempestātibus hūc illūc et ad aliās Ītaliae ac Siciliae urbēs et Temessam etiam appulsum; ibi dē nāvālibus sociis ēius ūnum, virgine per vīnum violatā, ab oppidānīs contumēliam vindicantib⁹ lapidibus obrutum. Ulixem quidem nūllā ratiōne mortem ulciscendi initā inde profectum; perempti vērō soci⁹ mānēs nūllum saeviendī fīnem in cūiuslibet aetatis hominēs fēcissem, dōnec patriam relictūr Temessēnsēs, ut eam pestem effugerent, Pȳthici Apollinis respōnsō hērōem plācāre iūssi sunt et cōsecrātō ei solo templum aedificāre; dēvovēre ei praetereā quotannīs virginem illam, quae ipsīs fōrmōsissima vīsa esset. Quod cum illi ex ḥrāculō facere pergerent, nihil omnīnō gravius dehinc passi sunt. Forte vērō cum vēnisset Euthȳmus Temessam, eō ipsō tempore quō sollempne nūminī sacrum fīebat, rē tōtā cōgnitā, aiunt illum postulāsse ut in templum intrōmitterētur; ibi virginem cōspicātum, pīmō misericordiā commōtum, deinde etiam amōre incēnsum; ac puellam quidem, si ab eō servāta esset, sē in ēius manum conventūram, fidem dedisse. Armīs igitur captis cum geniō congrēssum; illum victum moenibus et agrō excessisse, ē cōspectū prōrsus hominum in mare dēmersum ēvānuisse. Fuisse memorant, civitātē ūniversā ē foedissimā calamitatē liberatā, māximē illūstres Euthȳmi nūptiās'. Quibus narratīs 'Mīrum' inquit, 'quam mīrābiles apud māiōrēs nostrōs rēs acciderint; nūsq̄am tālia hodiē audīmus'. 'Sed accidunt' respondit alius, 'et apud nōs.'

Caesar Rubicōnem trānsit.

Quid enim Caesarī oīlim accidit dubitantī utrum Rubicōnem flūmen trānsīret necne? Nam post sōlis occāsum, mūlis ē proximō pīstrīnō ad vehiculum iūnetis,

occultissimum iter modicō comitatū ingrēssus est ; et cum, lūminibus exstinctis, dēcessisset viā, diū errābundus, tandem sub lūcem duce repertō, per angustissimōs trāmitēs pedibus ēvāsit ; cōsecūtusque cohortēs ad Rubicōnem flūmen, quod prōvinciae ēius fīnis erat, paulum cōnstitit, ac reputāns quantum mōlīrētur, conversus ad proximōs ‘Etiam nunc’, inquit ‘regredī possumus ; quod si pontīculum trānsierimus, omnia armīs agenda erunt’. Cūnctantī ostentum fit hūiusmodī. Quīdam eximiā māgnitūdine et fōrmā proximē sedēns repente appāruit, harundine canēns ; ad quem audiendum cum praeter pastōrēs plūrimī etiam ex statīonib⁹ militēs concurrisserent, raptā ab ūnō tubā, ad flūmen prōsiluit et ingenti spīritū classicum exōrsus ad alteram rīpam pertendit. Tunc Caesar ‘Eātur’ inquit ‘quō deōrum ostenta vocant ; iacta ālea est’.

Cubitum eō.

Equidem vērō quamquam vehementer cupiēbam fābulās audīre in summō eram terrōre nē quis mē dē Dāvī somniō percontārētur. Immō vērō dum pater nārrat mihi cōsciūs eram animī perturbatiōnis neque procul aberam quīn rubēscendō omnēs certiōrēs facerem mē perturbārt. Nam Valerium, avunculum meum, foedā speciē senem et mihi invīsum, cūriōsē mē spectāre vidēbam. Id igitur ēgī ut quam celerrimē ē cōspectū eius effugerem, quārē hiāre incipiēbam et omnibus modīs simulāre mē fessum esse. Quibus animadversīs pater ‘Iamdūdum’ inquit ‘puerulōs dormīre oportet ; age nunc, mī Lūci, iubē omnēs valēre et ad cubiculum abi’. Simul atque haec audīvi summō cum gaudiō, salutatīs convīvis, discessī, nam, quamquam plērumque cubitum īre nōlō, sed adultō-

rum ritū pervigilare mālō,—neque intelligere possum quam ob rem parentēs aliquae adulτ tam mōrōsōs sē praestent ut iūniōrēs semper cubitum dīmittant prius quam ipsi dormire velint,—tunc autem minimē aegrē ferēbam mē dīmitti. Quis enim serēnus esse potest cui semper aliquis adsit terror? Beātum illum, cui mēns rēcti sibi cōscia; sed nēmo, cui animi serēnitās abest, beātus dīc potest quamvis sit dīves. Ut Horātius dīcit:—

Dēstrīctus ēnsis cui super impiā
cervice pendet, nōn Siculae dapēs
dulcem ēlabōrābunt sapōrem,
nōn avium citharaeque cantūs
somnum redūcent.

Dionysius et Dāmoclēs.

Neque Dionysius, Syrācūsārum tyrannus, qui tantās habēbat dīvitiās, tantamque rērum abundantiam, putabat sē esse beātum. Nam cum quidam ex assentatōribus eius, Dāmoclēs, commemorāret in sermōne cōpiās eius, opēs, māiestātem dominātūs, rērum abundantiam, māgnificentiam aedium rēgiārum; negāretque umquam beātiōrem quemquam fuisse: ‘Visne igitur,’ inquit, ‘Dāmoclē, quoniam haec tē vita dēlectat, ipse eandem dēgustāre, et fortūnam experīri meam?’ Cum sē ille cupere dīxisset, collocārī iūssit hominem in aureō lectō, strātō pulcherrimē textili strāgulō, māgnificisque operibus pīctō; abacōsque complūrēs ornāvit argentō aurōque caelatō. Tum ad mēnsam eximiā fōrmā puerōs dēlectōs iūssit cōsistere, eōsque nūtum eius intuentēs diligenter ministrāre. Ade-rant unguenta, corōnae; incendēbantur odōrēs; mēnsae conquisitissimis epulis exstrūebantur. Fortūnatūs sibi

Dāmoclēs videbātur. In hōc mediō apparātū fulgentem gladium, ē lacūnārī saetā equinā aptum, dēmitti iūssit, ut impenderet illius bēati cervicibus. Itaque nec pulchrōs illōs ministratōrēs aspiciēbat, nec plēnum artis argentum; nec manum porrigebat in mēnsam; iam ipsae dēfluēbant corōnae. Dēnique exōrāvit tyrannum ut abire licēret, quod iam bēatus nōllet esse.

Satisne vidētur dēclarāsse Dionysius nihil esse ei bēati, cui semper aliquis terror impendeat?

Fūnus.

Hodiē pater nōs omnēs iūssit vestēs mūtāre quia avus meus mortuus esset. Erat homo prōvectae aetatis, facilis ergā omnēs cōmisque, pueris praecipue benignus. Mihi saltem quotiēns eum vīsēbam, crustula, vel alia quaedam pueris grāta, semper dabat. Summō igitur dolore affectus sum cum audīvissem eum esse mortuum. Mortem obiit nūdius tertius, aviaque mea, quae aderat, oculōs ēius exstantēs rigentēsque clausit; quibus clausis, cadāver inclāmābat ‘Avē’ vel ‘Valē’ identidem iterāns. Deinde cadāver humī dēpositum pollinctōrēs (quasi pellis ūnctōrēs) quos libitīnārī miserant, aquā calidā lavant unguentīsque variis unguunt. Quae cum gererentur uxor, animi valde commōta, hūc illūc ambulābat et ‘Utinam’ clāmāvit ‘adhūc vivēret; numquam anteā percēpi quam cārus mihi esset. O stultōs mortālēs! qui nisi quod Libitīna sacrāvit nihil mirēmini’. At pollinctōrēs, cum mūnera sua rīte cūrāvissent, corpus albā vestītum togā in lectō prope vēstibulum pedibus ad fores versis tanquam novissimē exitūrum composuērunt; mortuum sic positum necessārii lūgēbant; omnibusque ritū

peractis et trientri oris imposito ne ad portitorem illum sine viatico abiaret, discesserunt omnies. Tum demum cupressi ramus foribus est affixus.

Posterō diē exsequiae ducēbantur, multique necessarii fūneri intererant; quattuor vespillōnes (hōc modō appellantur quia vespertinō tempore mortuōs efferunt) mortuum feretrō impositum pedibus efferēbant; accēnsis facibus pompa longa sequēbātur, quam dēsignātor, lictoribus adiuvantibus, ordinābat; tribinēs prīmī incēdebant; deinde praeficae quae ut mortui laudēs, immixtis lamentis, canerent conductae erant, histriōnes deinde scurraeque, qui māgnō cum cantantium sonō sequēbātur, inter quōs et archimimus erat, qui persōnam avi mei agēbat atque, ut est mōs, facta ac dicta eius imitabātur. Quod tam bene faciēbat ut fraterculus meus, quippe qui nōn dubitare posset quin mortuus iterum vivet, summō terrōre afficerētur. Proximī erant libertini pilleati; ante ipsum cadāver imāginēs māiorum ferēbantur, deinde necessarii vestibus pullatis amicti. Tandem ad būstum peruentum est, ubi rogus ārae instar exstrūctus iam stabat. Cadavere imposito necessarii ardenti face, voltibus āversis, pyram incendērunt; odōres, unguenta, alia mūnera, in ignem iecērunt; victimas quoque ut mānēs plācarent apud pyram mactāvērunt; combustō rogō, extinctōque igni, vīnōque super cinerēs effūsō, ossa collecta urnae sunt imposta, ipsaque urna sepulerō. Quibus peractis vates quidam omnēs, qui aderant, aquā lūstrāli ē lauri rāmō iniectā lūstrāvit et 'Ilicet' clāmāvit; omnēs deinde priusquam abiērunt novissima verba dixerunt mortuumque iūsserunt valere. Nōn ita multō post hoc ēlogium in sepulcrō est sculptum:—

DĪS MĀNIBUS SACRUM

HIC IACET

M. Cornēlius Polliō

S.T.T.L. [sit tibi terra levis.]

Ā sōle exoriēte suprā Maeōtis palūdēs
nēmo est qui factis aequiperāre queat.
si fās endo plagās caelestum ascendere cūquam est,
mī sōlī caelī māxima porta patet.

Tēstāmentum et līs inde orta.

e Tēstāmentō apertō atque recitatō haec invēnimus : hērēdēs instituerat p̄imōs, Līviam (uxōrem suam) ex parte dimidiā, Siliūm (avunculum meū et patre nātu māiōrem) ex parte tertiā; secundum, Sextūm Cornēliūm (patrem meū) ex sextante. Haec patris hērēditās fundus erat Sabīnus, qui māximae molestiae nōbis erat initium. Namque in tēstāmentō ‘Sextus Cornēlius’ modo erat scriptum cōgnōmine omīssō ; alter tunc Rōmae erat Sextus Cornēlius, qui simul atque dē tēstāmentō audīvit fundum nostrum, ut hērēs, sibi vindicāvit. Amicōrum operā pater diū cōnābātur lītem compōnere ; tandem autem nōn facere potuit quin adversārium suū (Libanus erat ei cōgnōmen) in iūs vocāret. Domum igitur profectus ‘In iūs’ inquit, ‘tē vocō ; sequere ad tribūnal’. Cum negāret ille, pater ad praetereuntem quemdam versus ‘Licetne antestāri ?’ rogāvit ; hic auriculam oppōnit et Libanus in iūs rapitur. Prīmō tamen simulavit sē aegrōtāre nē in iūs iret ; negāvit dēnique sē posse ambulāre. Sed pater plaustrum misit quō ad praetōrem veherētur. Sed etiam tunc Libanus domō suā, tutissimō refugiō, ēgredi recūsābat. Itaque pater,

quippe qui sc̄iret eum fraudis modo causā latēre, epistulā missā, iterum eum in iūs evocāvit. Libanus igitur qui timēbat nē pater in bona sua mitterētur, si diūtius latuisset, domō tandem ēgrēssus est, et pater sine morā eum in iūs rapuit. Fāstus, ut accidit, diēs erat—diēs fāsti a ‘fandō’ appellantur, quod hīs diēbus praetōri licet haec tria verba fāri

DŌ, DĪCŌ, ADDĪCŌ

nam praetor actiōnem dat, iūs dīcit, bona vel damna alterutri adversāriōrum addīcit. Hoc et Ovidius Nāso poēta expōnit :—

41

Ille nefāstus erit, per quem tria verba silentur :
fāstus erit, per quem lēge licēbit agī.

Pater igitur, cum ad forum perventum est, cōram praetōre lītem quam in reum intendēbat, exposuit, actiōnem que postulāvit. Libanus simul ḥrāvit ut advocātus sibi darētur qui causam suam ageret. Actiōne data, pater lēgu-lēium arcessīvit qui fōrmulam scriberet ; timēbat enim nē, si quid in fōrmulā concipiendā errāvisset, causa caderet ; deinde fōrmulam hōc modō rēctē scriptam Libanō recitāvit ; vadēs quoque poposcit qui spondērent eum perendiē adfutūrum, cui Libanus, nē in vincula iacerētur, yadi-mōnium dedit. Quibus factis domum est discessum.

Apud nōs tōtus diēs summō cum silentiō agēbātur ; immō vērō pater ita animī commōtus est ut nīl cēnae edere posset. Omnes igitur rem compōnere cōnābāmur ; pater prōmisit fore ut reum iūdiciō absolveret si modo fundum sibi reddidisset. Sed nūllō modō efficere potuimus ut hoc faceret.

Diē cōnstitūtō pater sē ad tribūnal praetōris māne

contulit; nōndum aderat Libanus; paululum videbatur vadimōnium dēsertūrus esse; tandem autem vēnit obiitque vadimōnium. Ingrēssus forum, ‘Ubi tū es’ inquit, ‘qui mē vadātus es? Ecce mē tibi sistō, tū contrā et tē mihi siste.’ ‘Adsum’ respondit pater; deinde ille ‘Quid ais?’ rogāvit, cui pater ‘Aiō fundum, quem possidēs, meum esse; inde ego tē ex iūre manum cōnsertum vocō’; et Libanus respondit ‘Unde tū mē ex iūre manum cōnsertum vocāsti, inde ibi ego tē revocō’. Quibus dictis praetor ‘Utrīsque’ inquit, ‘superstitib⁹ praesentib⁹, istam viam dīcō.’ Statim ambo proficiscēbantur tamquam glaebam allatūrī; ubi autem praetor sine morā ‘Redite viam’ inquit, ambo rediērunt, et praetor ‘Utī nunc possidētis, ita possideātis; vīm fierī vetō’, dīxit. Deinde hunc in modum agēbātur actiō.

Pater meus, quippe qui possessiōne dēiectus esset, ad Libanum versus ‘Quando’ inquit ‘ego tē in iūre cōspiciō, postulō an siēs auctor (id est possessor) unde iūs meum repetere possim’; deinde postulāvit ut satisdaret sē nihil dēterius in possessiōne factūrum vel abscondendō arborēs vel aedificia dēlendō. Tunc praetor utrīque imperāvit ut sacramētū solveret. Quā pecūniā solūtā, pater rūrsus ‘Quando negās’ inquit, ‘hunc fundum esse meum, sacramētō tē quīngēnāriō prōvocō; spondēsne quīngentōs, si meus est?’ ‘Quīngentōs’ respondit Libanus, ‘spondeō, si tuus sit. Et tū spondēsne quīngentōs, nī tuus sit?’ Et ‘Spondeō’ respondit pater, ‘nī meus sit’; deinde ad praetōrem versus hōc modō pergit ‘Praetor, recuperatōres postulō ut dēs in diem perendinum’, et praetor recuperatōres sic dedit: ‘C. Aquillī, iūdex estō. Si pāret fundum Sabīnum, dē quō Cornēlius Polliō cum Libanō agit, Cornēli esse ex iūre Quirītium, neque is Cornēliō ā Libanō restituā-

tur, tum Libanum condemnā.' Omnibus recuperatōribus hunc in modum addictis, pater et Libanus inter sē in perendinum diem, ut ad iūdiciū venīrent, dēnuntiā-vērunt. Quibus factis iterum domum est discessum.

Domī inter cēnandum māter cum animadverteret patrem tantā taciturnitatē oppressum 'Utinam' inquit, 'pater tuus numquam esset mortuus, neque fundum istum tibi reliquisset; nam nīl nisi molestiam cūramque nōbis praeberet. Horātius scilicet scripsit

Cūr vallē permūtem Sabīnā
divitiās operōsiōrēs?

Sed nesciō quid nōbis saltem molestius fieri possit quam fundus ille Sabīnus'. At pater 'Nīl muliere loquācius est' respondit, et omnēs cubitum abiimus.

Tertiō diē iterum ad tribūnal rediimus. Quisque iūdex sē ex animī sententia iūdicatūrum esse hōc modō iūrāvit: lapidem dextrā tenēns 'Sī sciēns fallō' dīxit, 'tum mē Diēspiter, urbe salvā et arce, ē bonis eiciat, ut ego hunc lapidem'. Quibus dictis in subselliīs sedēbat, quasi ad pedēs praetōris. Ipse praetor, togā praetextā amictus, in sellā curūlī sedēbat. Ut sūdābat! Ō miserum hominem aestīvō tempore tot vestibūs vestītūm! Equidem vērō mihi grātulābar quod nōn eram praetor nec togā praetextā, sed tunica modo, amictus. Advocāti utriusque partis causās agunt, sed oratiōnēs omittam, nē taedium vobis moveam. Causā utriusque peroratā, iūdicēs paulisper dēliberant, deinde sententis latīs, praetor assur-rēxit et clāmāvit 'Secundum Sextum Cornēliū Pollio-nem lītem dō'. Quibus auditis nōs omnēs summō gaudiō affecti sumus et, līte tam bene iūdicatā, domum rediūmus.

Rūs ītur.

Posterō diē pater sē ad hunc Sabīnum fundum abi-
tūrum esse dixit; et mē sēcum duxit. O quam grātum
mihi erat rūs post tot urbīs strepitūs forique negōtia!
Mihi quidem rūs semper vidētur urbe multō melius esse.
Ut dicit Iuvenālis—


l
nam quid tam miserum, tam sōlum vīdimus ut nōn
dēterius crēdās horrēre incendia, lāpsūs
tēctōrum assiduōs āc mille perīcula saevae
urbis, et Augustō recitantēs mēnse poētās?

Diū per vīcōs artissimōs, raedīs, armentīs cōfertōs,
vehimur et

‘nōbīs properantibus ḥopstat
turba prior, māgnō populus premit āgmine lumbōs
qui sequitur; ferit hic cubitō, ferit assere dūrō
alter, at hic tīgnum capitī incutit, ille metrētam.
Pinguia crūra luto, plantā mox undique māgnā
calcor et in digitō clāvus mihi militis haeret;
scinduntur tunicae sartae modo, longa coruscat
serrācō veniente abiēs, atque altera pīnum
plaustra vehunt, nūtant altē populōque minantur;
nam si prōcubuit qui saxa Ligistica portat
axis et ēversum fūdit super āgmina montem,
quid superest ē corporibus? quis membra, quis ossa
invenit? obtrītum volgi perit omne cadāver
mōre animae. Domus intereā sēcūra patellās
iam lavat et buccā foculum excitat et sonat ūncis
strīglibus et plēnō compōnit lintea gūtō.
Haec inter puerōs variē properantur, at ille
iam sedet in rīpā taetrumque novīcius horret
porthmea nec spērat caenōsī gurgitis alnum,
infēlix nec habet quem porrigat ūre trientem’.



Strigilis et gutus



Tandem ad pōmērium tūti pervaenimus, et, urbe relictā, agrōs apertos vidēmus. Quam fēlicēs omnēs videntur esse rūstici !

Ego vērō nōn facere poteram quin Horātī versūs in memoriam revocārem

Beātus ille, qui procul negōtiis,
ut prīsca gēns mortālium,
paterna rūra bōbus exercebat suis,
solūtus omni faenore,
neque excitātur classicō mīles truci,
neque horret irātum mare,
forumque vitat et superba cīvium
potentiōrum līmina.

Circā meridiem, itinere perfectō, ad fundum nostrum pervenimus. Longē ab aliis remōtus sōlus in valle reconditā iacebat ; vīlicus nōs excēpit et ubi vīllam intrāvimus prandium parātum nōbis apposuit.

Prānsus per tōtum fundum vagābar, summā admirātiōne affectus. Vīlicus mihi omnia dē variis aedificiis, de animālibus expōnēbat. Tōta loci amoenitās māxime mihi cordī erat ; quam bene nōs monet Iuvenālis :—

Hortulus hīc puteusque brevis nec reste movendus
in tenuēs plantās facilī diffunditur haustū.
vīve bidentis amāns et cultī vīlicus hortī ;
unde epulum possis centum dare Pȳthagorēis.
est aliquid, quōcumque locō, quōcumque recessū
ūnius sēsē dominum fēcisse lacertae.

Equidem certē nīl magis cupiebam quam tōtam nostrō in fundō vitam dēgere. Quam beātus mihi videbātur noster ‘cultī vīlicus hortī’ qui numquam a fundō, nisi ad mortem, discessūrus esset. Sed in vīta peractā multum errāverat, multāsque vīserat cīvitātēs. Multa enim mihi

dē aliis terris nārrāvit, id tamen quod praecipue mihi placuit erat fābula dē gruibus quam hunc in modum mihi exposuit.

Dē gruibus.

'Gruēs aestivō tempore cum calōrem Aegypti nōn amplius ferre possint abeunt; passīisque vēlōrum in modum alis, rēcta viā Scythiam versus per āera feruntur. Cum vērō parum concinna corpora vix possint librare (in mediō enim graviōra, suprā sunt nimis porrēcta, et quae caudam pars tangit, levior est) necesse est (nōn secus quam nāvis quae ventis iactātur) in āere flūctuent. Quod cum vel sēnsū vel ipsā compertum habeat experientiā, nōn prius in altum sē tollit grūs, quam lapidem ūre sūmat, qui illi et saburrae instar est, commodē ut volet, et salūtē nē pereat.'

Dē cervīs.

Haec mihi mīranti vīlicus ille de cervīs pergit. 'Cervae quoque, aestivō tempore, pāscendī causā, ex Siciliā Rhēgium trānsmittunt; qui cum nōn exiguis sit trāiectus, fit tandem ut dēficiant, aegrēque suprā aquam capita tollant. Ergō hoc excōgitāvērunt remedium. Singillātim omnēs natant ūrdine, ut alteram sequātur altera, nōn aliter quam bene Instrūctus prōcēdit exercitus. Sequentis enim caput priōris incumbit lateri, atque ita natant dōnec dēfatigētur prīma quae āgmen dūcit. Quod cum fit, illa in tergo locātur, et alia prīmum tenet locum.'

Utrum haec fābula vēra sit necne, nesciō, sed cum vīlicum offendere nōllem, mē crēdere simulāvī. Deinde tot rēbus spectatīs dēfessus ad novum meum cubiculum abīvī.

Posterō diē, māne experrēctus, ad flūmen, quod fundum nostrum praeterit, vīlicō comitante, piscandī causā ambulāvī. Neque piscium cōpia dēerat, et dum apud

rīpam sedēmus ‘Nōn eādem, quā Canius’ inquit vīlicus ‘fortūna utimur’. Deinde mihi rogantī quid ei accidisset hanc nārrāvit fābulam.

Dolus piscātōrum.

C. Canius, eques Rōmānus, cum sē Syrācūsās ūtiāndi (ut ipse dīcere solebat) nōn negōtiāndi causā, contulisset, dīctitābat sē hortulōs aliquōs velle emere, quō invitāre amicōs, et ubi sē oblectāre sine interpellatiōnibus posset. Quod cum percrēbuisset, Pȳthius ei quīdam, qui argētāriam faceret Syrācūsīs, dīxit vēnālēs quidem sē hortōs nōn habēre, sed licēre utrī Caniō, si vellet, ut suis; et simul ad cēnam hominem in hortōs invitāvit in posterum diem. Cum ille prōmisisset, tum Pȳthius, qui esset, ut argētārius, apud omnēs ūrdinēs grātiōsus, piscātōrēs ad sē convocāvit, et ab his petīvit ut ante suōs hortulōs postrīdiē piscārentur; dīxitque quid eōs facere vellet. Ad cēnam tempore vēnit Canius; opiparē a Pȳthiō apparātum convīvium; cymbārum ante oculōs multitudō; prō sē quisque quod cēperat, afferēbat; ante pedēs Pȳthiī piscēs abiciēbantur. Tum Canius ‘Quaesō’ inquit, ‘quid est hoc, Pȳthi, tantumne piscium, tantumne cymbārum?’ Et ille ‘Quid mīrum?’ inquit ‘hōc locō est, Syrācūsīs quidquid est piscium; haec aquātiō; hāc villā isti carēre nōn possunt’. Incēnsus Canius cupiditāte, contendit a Pȳthiō ut venderet. Quid multa? Impetrat; emit tanti, quanti Pȳthius voluit, et emit instrūctōs; nōmina facit, negōtium cōnficit. Invitat Canius postrīdiē familiārēs suōs; venit ipse mātūrē. Scalmum nūllum videt; quaerit ex proximō vīcinō num fēriae quaedam piscātōrum essent, quod eōs nūllōs vidēret. ‘Nullae, quod sciām,’ inquit ille, ‘sed hīc piscārī nullī solent; itaque herī mīrabar quid accidisset.’

Stomachābātur Canius; sed quid faceret?

Lūdī magister scelerātissimus.

Quae cum vīlicus ille mihi nārrāvisset ego aliquid in memoriam revocāre cōnābar quod ei nārrārem. In mentem vēnit fābula quam apud Līvium oīlim in lūdō recitāvimus. Hunc igitur in modum incēpi. Ut tū multa scīs dē piscibus, cervīs, gruibus, cēterīsque animālibus, ita ego multa dē lūdōrum magistrīs, quōrum dē scelerātissimō nunc audi fābulam :

‘ Mōs erat Faliscis eōdem magistrō līberōrum et comite utrī, simulque plūrēs puerī unius cūrae dēmandābantur. Prīncipum līberōs, sicut ferē fit, qui scientiā vidēbātur praecellere, ērudiēbat. Is cum in pāce instituisset puerōs ante urbem lūsūs exercendīque causā prōducere, nihil eō mōre per bellī tempus intermissō, modo breviōribus, modo longiōribus spatiīs trahendō eōs ā portā lūsū sermōnibusque variātīs, longius solitō, ubi rēs dedit, prōgrēssus inter statiōnēs hostium, castraque inde Rōmāna (Rōmānī tunc oppidum obsidēbant) in praetōrium ad Camillum eōs perdūxit. Ibi scelestō facinorī scelestiōrem sermōnem addit ; Faleriōs sē in manūs Rōmānīs dedisse, quando eōs puerōs quōrum parentēs capita ibi rērum sint, in potestātem dēdiderit. Quae ubi Camillus audīvit “ Nōn ad similem ” inquit, “ tuī nec populum nec imperātōrem scelestus ipse cum scelestō mūnere vēnistī. Nōbis cum Faliscis, quae pāctō fit hūmānō, societās nōn est ; quam ingenerāvit nātūra utrīsque, est eritque. Sunt et bellī sicut pācis iūra, iūstēque ea nōn minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habēmus nōn adversus eam aetātem, cui etiam captīs urbibus parcitur, sed adversus armātōs et ipsōs, qui, nec laestī nec lacessītī ā nōbīs, castra Rōmāna ad Vēiōs oppūgnārunt. Eōs tū, quantum in tē

fuit, novō scelere viciſtī ; ego Rōmānīs artibus, virtūte opere armīs, ſicut Veiōs, vincam”. Dēnūdātum deinde eum, manibus post tergum illigātis, redūcendum Falēriōs pueris trādidit, virgāsque eis, quibus prōditōrem agerent in urbem verberantēs, dedit.’

Quā recitatā fābulā ‘Talia quidem’ inquam ‘hodiē numquā accidunt. Sed et apud nōs, nostrō in lūdō, mīra quaedam nōnnumquā accidunt’.

Physiōgnōmōn.

‘Nam poſtrēmō annō physiōgnōmōn quīdam, Zōpyrus nōmine, Rōmam vēnit, qui ſe nātūram cūiusque ex fōrmā perspicere profitēbātur. Hic quondam ad lūdum noſtrum vēnit, ὄrāvitque magistrum ut ſibi licēret puerōrum mōrēs nātūrāsque ex corpore vultū oculīs expōnere. Magister igitur nōbīs imperāvit ut ὄrdine stārēmus et capita advenae pertractanda adhibērēmus. At ille, mīrābile dictū, capite cūiusque manibus pertractatō, omnium nātūrās rēctē exposuit, et nōs omnēs “Macte” exclāmāvimus; etiam magister, qui plērumque ſe trīſtissimum praestat, nōn facere potuit quīn hominī grātularētur. Quibus laudibus ērēctus physiōgnōmōn magistrō quoque persuāſit ut ſibi licēret et ipsīſus pertractāre caput; et dum pertractat, pariter ac nōbīſcum anteā fēcit, mōrēs expōnēbat; tam ſubmiſſā vōce tamen loquēbātur ut nōs reliquī vix audīre possēmus; ego autem vīdī magistrum rubēre animōque plānē perturbārī. Itaque a tergō clam appropinquāvī ut quid diceret Zōpyrus audīrem; quid vērō dīxīſſet nōn invenīre poteram; nam ſimul atque ego tacitō gradū ad eōs pervēnī, magister ſummā trā commōtus, correptā ferulā, caput Zōpyrī ingenti ictū pulsāvit et “Accipe” inquit “tū quoque tumōrem capitī ūt omnēs ſcient tē ſtūtissimum eſſe”. Quō dictō hominem tot

verberibus onustum ē lūdō expulit. Nōs discipuli irae eius nōn oblīti, sī quandō molestiam ei posteā volēbāmus afferre, semper rogābāmus num rē vērā animī nātūra ē corporis fōrmā posset cōgnōsci.'

Quibus nārrātis iam tempus erat ad vīllam redire.

Advena.

Quō cum rediissem invēnī amīcum patris mei ad vīllam pervaenisse ut apud nōs aliquot diēs dēgeret. Centuriō est qui bellis multis interfuit. Contrā Germānōs, Britan-nōs, multas alias natiōnes pūgnāvit. Nōn semel bisve sed saepe in proeliō est vulnerātus. Ōlim cum commilitō quidam ab hostib⁹ oppressus in eō erat ut interficerētur, centuriō illi summā virtūtē succurrit, et vītā amici cōservātā ipse graviter factus est saucius. Ō centuriōnem fortissimum! quam vellem et ipse miles essem, ut contrā hostēs patriae meae strēnuē pūgnārem! Nōmen centuriōnī est Sulpiciō, Gādibus in Hispāniā nātō annis abhinc quīnqūaginta. Quam dives hominum nōn modo fortium sed etiam ingeniōsōrum est et fuit terra illa Hispānia! Lūcānus poēta, Seneca philosophus, Quintiliānus rhētōr, Mārtialis poēta, hī inter aliōs in Hispāniā nātī posteā Rōmam vēnērunt.

Multa pater meus et centuriō post cēnam inter se collocūti sunt, quibus sermōnibus ego quoque interfui. Cum satis diū dē bellō Britannicō nārrāvissent, ‘Ō pater’ inquam ‘cūr necesse est bella tam longinqua gerant, Rōmānī? Nōnne satis māgnum est imperium nostrum?’ ‘Satis sānē’ inquit pater ‘plūs quidem quam satis, ut arbitrantur nōnnūllī. Sed Sulpicius noster melius quam ego hīs dē rēbus tibi potest dicere’. Cui Sulpicius subridens, ‘Libēns faciam’ inquit ‘quod rogās; negōtīs enim aliis vacō, et filius tuus scientiae cupidus videtur.

Multis in regionibus nostri bella gerere coguntur, non ut imperium augeant sed ut fines imperii firmati sint atque defensi. Quomodo enim incolae longinquarum provinciarum securi possunt vivere, si semper eis timendum est ne irrumptant barbari, omnia rapiant, homines interficiant? Non aliena cupimus, sed nostra nostrisque defendere. Nonnumquam tamen fit ut nostra defendere non possimus nisi contra alios populos bellum ultrō geramus. Itaque et Britannos oppugnavit Gaius Iulius Caesar, quia Gallis auxilium praebebant. Mihi quidem videtur nihil magis rei publicae prōdesse quam ut provinciae defendantur, etiam si bella longinqua gerere cogimur.' Cui ego 'Gratiā agō' inquam 'quod haec omnia tam clārē exposuisti. Quam velim dē prisca Rōmānōrum factis mihi aliquid narrēs'. 'Crās fortasse' respondit 'narrabō'. 'Pergratum' inquam 'faciēs'.

Postridiē igitur ego, frater, sorores (omnes enim Sulpiciū audire cupiebamus) vesperi ad eum convenimus. Quibus visis subridens 'Non modo discipulos' inquit 'sed etiam discipulas, ut videtur, docturus sum. Strēnuē mihi res est agenda, ut omnibus placeam.' Tum frater, 'Nōl timere,' inquit, 'nē nobis displiceas; nam et historias amāmus et tē ipsum, qui fortissimum in proeliando tē praestiteris. Scriptores rerum plerique multa quidem scribunt, ipsi agunt nihil. Auditores habebis non incūriōsos.' 'Quod poterō' respondet 'faciam'.

Pyrrhi medicus.

Ōlim, ut scitis omnēs, populō Rōmānō Pyrrhus, rex Ēpirōtarum, bellum ultrō intulit. Nam cum Rōmānōs potentēs vidēret Apollinem dē bellō cōnsuluit. Ille ambiguē respondit 'Aiō tē Rōmānōs vincere posse'. Hoc ad sē dictum ratus contra Rōmānōs vēnit, adversus quōs

variō ēventū pūgnābat. Diū dē summō imperiō inter eum et Fabricium, imperatōrem Rōmānum, erat certāmen. Perfuga quondam ab eō in castra Fabricī vēnit, ei⁹que est pollicitus, sī praemium sibi posuisset, sē, ut clam vēnisset, sic clam in Pyrrhī castra reditūrum, et eum venēno necātūrum. Hunc Fabricius redūcendum cūrāvit ad Pyrrhum; idque ēius factum laudātum ā senatū est. Nam sī glōriae causā imperium expetendū est, scelus absit, in quō nōn potest esse glōria; sīn ipsae opēs ex-petuntur quōdquōd modō, nōn poterunt utiles esse cum infāmiā. Quod posteā Rēgulus quoque iterum arguit.

Mārcus Atilius Rēgulus.

Hic erat vir ēgregiā virtūte qui primō Carthāginiensēs plūribus proeliis vīcit, tandem tamen ab iīs duce Xanthippō Lacedaemoniō victus captusque, Rōmam missus est, dē captivis commūtandis āctūrus, fidē datā, sē, sī nihil perfēcisset, reditūrum. Ille Rōmam cum vēnisset, in senātū indūctus, Rōmānis persuāsit nē pāx cum Poenīs fieret; illōs enim frāctōs tot cāsibus spēm nūllam habēre; sē tantī nōn esse, ut tot mīlia captivōrum propter unum sē et senem, et paucōs, qui ex Rōmānis capti essent, rediderentur. Senatūs cōsultō hanc in sententiam factō, ipse Carthāginem rediit; suādentibusque Rōmānis ut Rōmae manēret, negāvit sē in eā urbe mānsūrum, in quā postquam Āfrīs servisset, dignitātem honesti cīvis habēre nōn posset. Regrēssus igitur ad Āfricam exquisitissimis suppliciīs interfectus est. Sed quam praeclāram fāmam sibi parābat! Audite enim id quod dicit Horātius.

Hoc cāverat mēns prōvida Rēguli
dissentientis condiciōnibus
foedīs, et exemplō trahentis
perniciēm veniēns in aevum,

si nōn periret immiserabilis
captiva pūbēs. ‘Signa ego Pūnicis
adfixa dēlūbris et arma
militibus sine caede,’ dixit,

‘dērepta vīdī ; vīdī ego cīvium
retorta tergō bracchia liberō
portāsque nōn clausās, et arva
Marte colī populāta nostrō.

Aurō repēnsus scīlicet ācior
mīles redībit. Flāgitio additis
damnum ; neque āmissōs colōrēs
lāna refert medicāta fūcō,
nec vēra virtus, cum semel excidit,
cūrat repōnī dēteriōribus.

Si pūgnat extrīcāta dēnsis
cerva plagi, erit ille fortis
qui perfidis sē crēdidit hostibus,
et Mārte Poenōs prōteret alterō,
qui lōra restrictis lacertis
sēnsit iners timuitque mortem.

Hic, unde vītam sūmeret inscius,
pācem duellō miscuit. Ō pudor !
Ō māgna Carthāgō, probrōsis
altior Ītaliae ruīnis !’

Fertur pudicae cōniugis osculum
parvōsque nātōs ut capitīs minor
ab sē remōvisse et virīlem
toryus humī posuisse vultum,

dōne labantēs cōnsiliō patrēs
fīrmāret auctor numquam aliās datō,
interque maerentēs amīcōs
ēgregius properāret exsul.

atquī sciēbat quae sibi barbarus
tortor parāret ; nōn aliter tamen
dīmōvit obstantēs propinquōs
et populūm redditūs morantem,

quam sī clientum longa negōtia,
dīiudicata līte, relinqueret,
tendēns Venāfrānōs in agrōs
aut Lacedaemonium Tarentum.

Theātrum.

Nūdius tertius Rōmam rediimus et pater mē sinit
sēcum ad theātrum īre. In quattuordecim ōrdinibus,
quippe quī equestrī nātus sit locō, sedēbat ; namque post
senātōrēs ex vetere īstitutō quattuordecim graduum ōr-
dinēs equestrī ōrdinī assīgnātī sunt. Postquam cōnsēdi-
mus, pater aurī meae ūre suō admōtō susurrāns ‘Vidēsne’
inquit ‘senem istum prōmissā barbā, quī, dēsignātōre
appropinquante, ē locō suō semper cēdit et quasi currit
per ōrdinēs equestrēs ?’ ‘Cūr, pater,’ rogāvī ‘ita agit ?
Dēsignātōrem vidētur timēre’. ‘Et iūre timet’ respondit
pater ‘nam cēnsū equestrī caret ; itaque nōn licet ei inter
hōs ōrdinēs sedēre. Nēmo enim inter equestrēs adscribi
potest cuī nōn sint quadringenta sēstertia’. Adhūc
loquente patre, dēsignātōrem iterum hominī appropin-
quantem vīdī et quid esset ēventūrum mīrābar, cum
‘Spectā’ inquit pater ‘quid sit factūrus ; rīdiculam
enim agit rem, et omnibus lūdibriō est ; īmmō vērō

Mārtiālis poēta carmen scripsit ut eum irrīdeat'. Tum vērō Nannēium vīdī (ita enim mihi pater dīxit hominem appellārī) dēsignātōrī cēdere dōnec ad ultimam sēdem quartūdecimū ūrdinis peruentum est. Sed nē hanc quidem sēdem retinēre potuit et ā dēsignātōre dīmōtus est. Genū igitur flexō apud hanc sēdem manēbat, ut vidēretur inter equitēs sedēre, quamquam rē vērā nūllam obtinēbat sēdem, sed extrā ūrdinēs in foribus erat. Mihi certē ita rīsum movit ut posterō diē carmen sine morā legere cuperem quod pater mihi dīxit Mārtiālem scripsisse; eō magis legere cupiēbam quod virum ipsum vīderam. Et putō vōs quoque quī dē homine iam nunc audīveritis omnēs velle audīre. Audīte igitur:—

Sedēre prīmō solitus in gradū semper
tunc, cum licēret occupāre, Nannēius
bis excitātus terque trānstulit castra,
et inter ipsās paene tertius sellās
post Gāiumque Lūciumque cōnsēdit;
illinc cucullō prōspicit caput tēctus
oculōque lūdōs spectat indecēns ūnō,
et hinc miser deiectus in viam trānsit,
subselliōque sēmifultus extrēmō
et male receptus alterō genū iactat
equitī sedēre Lēitōque sē stāre.

Nunc autem ad theātrum redeāmus, nam carmen posterō modo diē lēgi. Simul atque aulaeum mīttitur histriō-
nemque vidēmus in scaenā stantem, quantum audiō
strepitum! Immō vērō vōx histriōnis plaudentium
sonum nōn ēvaluuit pēvincere. Tragoedia quaedam
agēbātur, sed inter tot plaudentium strepitum nīl
audīre poteram. Neque rē vērā spectātōribus placuit,
nam medium inter tragediam clāmāre incēpērunt et


poscere ut ursi vel pugiles adhiberentur. Deinde turmae equitum peditumque catervae trans scaenam currunt; sequuntur reges manibus retortis, esseda, plenta, naves, pantherae, cameli, elephanti, tantaque omnium rerum animaliumque multitudo ut me quidem tam longae pompe mox taedaret. Nec non spectatorum clamores molestiam mihi afferunt, namque ut Horatius dicit

Garganum mungre putas nemus aut mare Tuscum,
tantum cum strepitum ludi spectantur et artes.

Tandem autem finis aderat et dum aulaeum tollitur rem mirabilem vidi, nam Britannorum figurae in ipsis aulaeis erant intextae; cum igitur aulaeum tolleretur ipsis Britannis manibus suis id tollere videbantur. Evidem vero putavi vivos eos esse gigantas, sed postquam est theatro discessum est pater mihi totam rem exposuit.

Dē alcibus.

Dum domum redimus de tantā animalium varietate in scaenā visā disserēbāmus, paterque dixit absurdum esse hās omnes feras, ē regione quamque sibi idoneā, Rōmam comportare. ‘Mox et alcem’ inquit ‘arcessent’, et mihi neganti me scire quale animal esset alcēs, ‘Hārum est cōsimilis capris figura’ dixit, ‘et varietas pellum, sed magnitudine paulo antecēdunt mutilaque sunt cornibus, et crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causā procumbunt, neque, si quō afflictæ casū conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arborēs pro cubilibus; ad eas se applicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. Quārum ex vestigiis cum est animadversum a vēnatoribus, quō se recipere consuerint, omnes eō locō aut radicibus subruunt, aut accidunt arborēs, tantum ut summa specieis eārum stantium relinquātur.



CIRCUS

Hūc cum sē cōnsuetudine suā reclināvērunt infirmās arborēs pondere afflīgunt atque ūnā ipsae concidunt. Quō modō quippe quae surgere nōn possint facile ā vēnatōribus capiuntur.' Haec dum fābula nārrātur celeriter domum pervēnimus, ubi ego quidem tot rēbus vīsīs dēfatigātus cubitum sine morā abiī, et dum in lectō crūra quasi in circulum, fēlis instar, colligō, dīs grātiās ēgī quod nōn nātus eram alcēs.

Circus Māximus.

Posterō diē ut lūdōrum spectācula vidērem ad Circum Māximum mē contuli. Per tōtum hunc circum longa spīna, ut mūrus, quattuor pedēs alta, medium dīvidit spatium; apud utrumque finem stāta mēta prope quam aurīgāe currūs vertere solent. Immō vērō optimus quisque aurīga semper cōnātūr currūm quam proximē regere et mētam modo nōn rotīs suis rādere, namque ut Horatius dicit:—

Sunt quōs curriculō pulverem Olympicum
collēgisse iuvat, mētaque fervidīs
ēvitāta rotīs palmaque nōbilis
terrārum dominōs ēvehit ad deōs.

Prīmū certāmen erat quadrigārum. Simul atque cōnsul, mappā ad terrām iactā, signū dedit ē carceribus ērūpērunt quadrigae et sēsē in stadium effūdērunt; tōtum stadium strepitū curruum crepitantium complēbātur; pulvis in altū glomerabātur; ūnā omnēs inter sē commixti stimulis nōn parcēbant, ut alter alterius rotās frementēsque equōs superāret. Nam cōferti equī alii aliōrum aurīgārum in terga rotāsque curruum spūmām fervidōsque fundunt flātūs. Spectātōrēs alii aliās factiōnēs strepitū clāmōribusque faventium incitant; nunc prasina, nunc russāta priōrem occupat

locum ; sed cedit albātae et haec venetae. Ego quidem albātae favēbam factiōni, diūque p̄imus currēbat aurīga meus. Sub ultimam mētam iam currum agēns (septiēns enim tōtum emētiuntur stadium) propius propiusque admovēbat rotam funālique ad dextram equō habēnās laxābat, sinistrum cohibēbat. Et hāc quidem tenus rēcti omnēs stetērunt currūs ; deinde vērō prasinae factiōnis contumācēs equī currum vi auferunt, et ex adversō, cum sextus iam septimusque cōnficerētur cursus, frontēs caeruleis impingunt quadrigis ; unde tūnō ex malō aliis alium cōfringit et incidit. Tōtus iam cursus curruum naufragiis replētus est. Quod ubi cōspexit russātus aurīga, extrā orbitam deflectit, et frēna inhibet, dum praetervehātur aliōs. Intereā albātus ille, cuī ego favēbam, postrēmus omnium ultimō locō equōs agēbat, namque in fine certam spem victōriae pōnēbat ; quī simul ac vīdit russātum illum sōlum relictum, vēlōcium equōrum auribus acūtum flagellī sonum incutiēns, insequitur ; et aequātis iugis ambo ferēbantur ; modo hic, modo ille equōrum capitibus alterius quadrigam superābat. Et reliquōs quidem omnēs cursūs infēlix ille albātus rēctō currū exēgerat ; deinde dum habēnas flectentī sinistrōrsum equō remittit, imprudēns in mētam impingit, fractisque rotis ē currū volvitur implicāturque lōris ; illō autem in terram prōlāpsō, dissipātī sunt equī medium per stadium, russātusque ille palmam tulit. Fautōrēs tamen albātae factiōnis ut vīdērunt illum currū excussum modo rapi per terram, modo caelum versus crūra prōtendere, clāris lāmentis adolescentis vicem dēplōrāvērunt, dōnec cēterī aurīgæ, vix tandem equōrum cursū cohibitō, solvērunt eum cruōre adeō foedātum ut amicōrum nēmo corpus agnōsceret.

Leō in arēnā.

Post hōc quadrigārum certāmen vēnātiōnem, ut appellātur, vīdi. Quō in certāmine hominēs, nōmine bēstiārii, contrā ferās cūiusvis generis pūgnant. Māgna multitudō, varietāsque mīrabilis omnium ferārum undique collecta in arēnam immittitur. Sed praeter alia omnia leōnum immānitās mihi admiratiōnī fuit, ūnius praeſertim. Is ūnus leō corporis impetū et rōbore, terrificōque fremitū et sonōrō, toris comīsque cervīcum flūctuantibus animōs oculōsque omnium in sē convertit. Intrōdūctus erat inter complūrēs cēterōs, ad pūgnam bēstiārum datus, servus viri cōſulāris. Eī servō Androclus nōmen fuit. Hunc ille leō, ubi vīdit procul, repente, quasi admirāns, stetit; ac deinde sēnsim atque placidē ad hominem accēdit; tum caudam mōre atque ritū adulantium canum clēmenter et blandē movet, hominisque sēsē corpori adiungit, crūraque ēius et manūs metū iam paēne exanimātī, linguā lēniter dēmulcet. Homo Androclus inter illa tam atrōcis ferae blandimenta āmīſſum animum recēperat; paulātim oculōs ad contuendum leōnem refert; tum, quasi mūtuā recōgnitiōne factā, laetōs et grātulābundōs vidērēs hominem et leōnem. Haec tam mīra rēs māximōs populi clāmōrēs excitāvit; nec nōn Caesar Androclum arcessitum rogāvit quam ob rem ille atrōcissimus leōnum ūni pepercisset. Deinde Androclus rem mīrificam nārrāvit atque admirandam. ‘Cum prōvinciam’ inquit ‘Āfricam prōcōnsulārī imperiō dominus meus obtinēret, ego ibi iniquīs ēius et cottidiānis verberibus ad fugam sum coāctus; et, ut mihi ā dominō, terrae illīus praeſide, tūtiōrēs latebrae forent, in campōrum et arēnārum sōlitūdinēs concessi; ac, si defuisset cibus, cōſilium fuit mortem aliquō pāctō quaerere.

Tum sole mediō rapidō et flagrante spēluncam quandam
nactus remōtam latebrōsamque, in eam penetrō et mē
recondō, neque multō post ad eandem spēluncam vēnit
hic leō, debilit ūnō et cruentō pede, gemitūs ēdēns et
murmura dolōrem cruciātumque volneris commiserantia ;
et prīmō quidem cōspectū advenientis leōnis, summō
terrōre affectus sum ; sed postquam leō spēluncam intrō-
grēssus vīdit mē procul latentem, mītis et mānsuētus
accessit ; sublātum pedem ostendit āc porrēxit, quasi
opis petendae grātiā ; ibi stirpem ingentem pedī ēius
haerentem revellī, conceptamque saniem volnere intimō
expressī, accūrātiusque, sine māgnā iam formidine, sic-
cāvī penitus atque detersī cruōrem. Ille tunc meā operā
levātus, pede manibus meis impositō, recubuit et quiēvit ;
atque, ex eō diē, triennium tōtum ego et leō in eādem
spēluncā eōdemque vīctū vīximus. Nam, quās vēnābātur
ferās, membra opīmiōra ad spēluncam mihi suggerēbat ;
quae ego quippe qui ignis cōpiam nōn habērem, sole
meridiānō tosta edēbam. Sed ubi mē vītae illītus ferīnae
iam pertaesum est, leōne vēnātum profectō, spēluncam
relīquī. Nōn ita multō post ā mīlitibus vīsus appre-
hēnsus sum et ad dominum ex Āfricā Rōmam dēductus.
Is mē statim rei capitālis damnandum ad bēstīasque
dandum cūrāvit. Intellegō autem hunc quoque leōnem
captum grātiās mihi nunc etiam beneficiū referre.⁹
Quae cum ita nārrāvisset Androclus, cūncīs potentibus,
dīmissus est et poenā solūtus, leōque ei suffrāgiīs populi
dōnātus. Evidēt postea vidēbam Androclum et
leōnem lōrō tenuī revīntum urbe tōtā circum tabernās
ire ; dōnārti aere Androclum, flōribus spargī leōnem ;
omnes ferē ubique obviōs dīcere ‘Hic est leō hospes
hominis ; hic est homo medicus leōnis’.

Pugilēs.

Deinde currentium, saltantium, luctationis, pugilum, discōs iaciendī certamina erant. Pugiles modo, dentifrangibulōs hominēs, dēscrībam. Quam lātōs umerōs, quantōs habēbant lacertōs ! Prīmus in arēnam Entellus prōcessit atque in medium duōs caestūs māgni ponderis prōiēcit ; obstupuērunt spectatōrēs, tantō rigēscēbant plumbō et ferrō insūtō. Alter tamen pugil, nōmine Darēs, haudquāquam videbātur timēre. Ambo statim māgnōs artūs, māgna ossa, lacertōsque nūdābant ; ingentēs mediā in arēnā cōsistēbant. Ut nōlim tālibus obviam īre noctū, vel in vīcō tenebricōsō et dēserto ! Servī 'paribus caestibus utriusque manūs alligāvērunt ; statim uterque in articulōs pedum stetit ērēctus, et intrepidus ērēxit bracchia in altum ; iamque ab ictibus alta capita retrō āvertunt ; crēberrima inter sē verbera dant, Darēs fortior agilitāte pedum et iuventūte dēfēnsus, Entellus māgnitudine membrōrum rōbustus, sed genua pigra vacillant trementi, et difficilis anhēlitus vasta membra agitat ; cavīs lateribus multōs ingerunt ictūs ; ē pectore māgnōs ēdunt sonitūs ; nec nōn mālāe sub gravibus ictibus crepitant. Entellus cōsistit gravis et immōtus eōdem in statū, tantummodo elūdit ictūs corpore et oculis vigilantibus. Alter dolōsē nunc hōs, nunc illōs tentat aditūs, fristrāque variō impetū premit. Entellus īsurgēns ostendit dextram et altē tollit, alter celer praevidet ictum, et levī corpore ēlāpsus effugit. Entellus in aurās effundit impetum et ipse gravis et graviter māgnō pondere in terram prōcumbit. Dīversīs studiīs spectatōrēs omnēs surgunt, alīi cachinnōs, alīi misericordiae clāmōrēs tollunt ; strepitus ad caelum mittitur.



Photo Alinari.

Pugil caestus gerēns.

Sed Entellus, tantō cāsū neque tardātus neque territus surgit ardentiorque ad pūgnam redit; īra vim addit et fortitudō sibi cōscia vīrēs inflamat; tōtō campō currentem Darēta urget, nunc dextrā, nunc sinistrā ictūs dat. Neque mora, neque requiēs erat; sed quam dēnsā grandine nimbī super tēcta crepitant, tam dēnsis ictibus Entellus utrāque manū frequēns verberat Darēta agitatque. Tum dēmum, fīne certāminis indictō, servi quīdam Darēta subdūxerunt dēfatigātum, genua Infrīma trahentem, utrimque moventem caput, sanguinem spissum ac dentēs cum sanguine mixtōs ex ōre expuentem Dentilegum scilicet eum fēcerat Entellus. Caput etiam tumōre māgnō tumēbat, quem si Zōpyrus ille physiognōmōn vīdisset omnium sapientissimum hominum esse dixisset.

Gladiātōrēs.


‘At tuba terribili sonitū tarantara dixit’ et gladiātōrēs intrāverunt. Ad imperātōrem versi ‘Moritūri tē salūtant’ clāmāvērunt et statim acriter pūgnātur. Alii retiārii, mirmillōnēs alii vocantur; hī enim in galeis piscis effigiem gerunt, illi rēte et fuscinam (vel tridentem) habent. Rētiārius quīdam rēti suō mirmillōnēm implicāre cōnābātur et fugienti illi ‘Nōn tē’ clāmāvit ‘petō, pisces petō; quid mē fugis, Galle? Piscāri volō’. Quō auditō omnēs facētiās hominis laudāvēre; at ille rēti iactō mirmillōnēm implicāvit—‘Habet, habet’, clāmāvērunt omnēs, et ille victor ad imperātōrem versus signum exspectābat. Imperātor quippe qui intellegēret spectātōrēs rētiāriō favēre, pollicem vertit et signum mortis dedit (signum parcendī pollice pressō datur). Interfectum mirmillōnēm servī ex arēnā uncō traxerunt. Neque plūs vidēre poterām sed patrem statim ḫrāvi ut mē a tam saevō spectāculō abducēret. Domum igitur rediimus.

Dē pueris in Senātū.

Saepenumero cum patre volēbam ad senātum ire, sed mihi oīlim plūs solitō flāgitantī ut mē sēcum dūceret, pater 'Nōn iam' respondit 'licet pueris senātum intrāre'. Deinde mihi causam rogantī haec exposuit: 'Anteā' inquit 'mōs senātōribus Romae fuit in cūriam cum praetextatīs filiīs introire. Cum in senātū rēs māior quaepiam cōsultatā atque in diem posterum prōlāta est, placuit que nē quis hanc rem ēnūntiāret, super quā tractāvissent, priusquam dēcreta esset, māter Papīrī puerī, qui cum parente suō in cūriā fuerat, filium percūnctatā est quidnam in senātū patrēs ēgissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dīcī licēre; mulier fit audiendī cupidior; sēcrētum reī et silentium dēbērī puer affirmāns animum ēius ad inquīrendum excitat; quaerit igitur magis violentiusque. Tum puer, mātre urgente, lepidī atque festīvī mendaciī cōsilia init. Āctum in senātū dīxit, utrum hōrum vidērētur ūtilius magisque ē rēpūblicā esse, ūnusne ut duās uxōrēs habēret, an ut ūna apud duōs nūpta esset. Hoc illa ut audīvit, animō compavēscit; domō trepidāns ēgreditur; ad cēterās mātrōnās dēfert quod audierat; posterō diē perveniunt ad senātum; lacrimantes atque obse- crantēs incipiunt ḫrāre ūna potius ut duōbus nūpta fieret, quam ut ūni duae. Senātōrēs ingredientēs in cūriam quae illa mulierum intemperiēs et quid sibi postulatiō ista vellet, mīrābantur. Puer Papīrius in medium cūriae prōgrēssus, quid māter rogāvisset, quid ipse mātri dīxisset et tōtam rem nārrāvit. Senātus fidem atque ingenium puerī laudat, cōsultum facit posthāc puerī cum patribus in cūriam nē introeant, nisi ille ūnus



Rētiārius.



Papirius; eique puerō posteā cōgnōmen honōris causā
inditum est “Praetextātus” ob loquendī tacendīque in
aetāte praetextātā prūdentiam.”

Lūcius patrī suō salūtem dat.

Septem abhinc diēbus, pater cārissime, Athēnās per-
vēnī, mare Brundisiō trānsvectus cursū quam celerrimō ;
ventī enim semper erant secundi. Quibus cōgnitis sciō
et tē et mātrem vehementer esse gāvisūrōs. Mare enim
periculis plēnum. In cursū voluptāte māximā affectus
sum, dum sōlem spectō clārissimum, undās caeruleās,
urbēs interdum Graecās in ḍrā maritimā sitās. Nāvigāvi
igitur sine timōre nauseāve. Apud Piraeum expositus
Athēnās pedibus iter fēci, quod cum facerem obvius fui
patruō meō, qui domum suam mē dēdūxit. Amita
mea valet, valent et cōsobrīnī. Qui omnēs mihi placent,
et studiis perfectis cum eis cottidiē lūdō. Urbs ipsa,
mī pater, quam pulchra est ! Qualēs erant Graeci illi, qui
tot templā, tot statuās tantā arte fēcērunt ! Rōmae Graecōs
ōderam ; nunc Athēnis admiror, et ingenia illa māgna,
Homērum, Aeschylum, Sophoclem, Thūcydidem, melius
intellegō. Rōmae enim dēteriōrēs videntur Graeci, ideō,
ut opīnor, quod plērique sunt servi, mercēnārii omnēs.
Gratiās tibi, pater, agō quam māximās, quod mihi permī-
sistī ut Athēnis artem ḍrātōriam discerem. Studiis mē
penitus dēdam, ut linguam Graecam quam celerrime
ēdoctus sim.

Nunc sentiō eadem quae sēnsit Propertius :—

Illīc vel studiis animum ēmendāre Platōnis
incipiam aut hortīs, docte Epicūre, tuīs ;
persequar aut studium linguae, Dēmosthenis arma,
librōrumque tuōs, docte Menandre, salēs ;

aut certē tabulae capient mea lūmina pictae,
sive ebore exāctae, seu magis aere, manūs.

Cūrā, pater cārissime, ut valeās. Valē.

Fīnis.

Fīnis adest nārrātōnis hūius, adest quoque fīnis pueritiae. Nunc autem vōs omnēs, qui hunc librum recitatis, iubeō valere. Ut enim vōbis discenda est lingua Latīna, ita mihi, qui iam sum adulēscēns, nōn puer, Athēnīs est discenda ars orātōria. Valēte omnēs. et bonī este discipulī.

EXERCITATIONES

Ego et vita mea.

A (1)

Verte in orationem obliquam, accedente idoneo verbo principali:—

1. Pater meus appellatur Sextus Cornelius Pollio.
2. Ego appellor Lycius.
3. Nunc de matre dicam.
4. Fratri praenomen est Gaius.
5. Et lectulo surrei.
6. Mater patrem salvare iussit.
7. Sorores patrem salvare iusserrunt.
8. Pueri non ludent in ludo.
9. Post ludum domum redeo.
10. Sorores ad ludum mox ibunt.

B

1. De quibus rebus narraturus est Lycius?
2. Quid scis de ipso Lycio?
3. Quomodo appellantur pater, mater, frater, sorores?
4. Quid facit Lycius cottidi?
5. Quid accidit in ludo?
6. Qui erant Horatius, Vergilius, Terentius?
7. Quid faciunt pueri quotiens in ludo exeunt?
8. Quot annos natus est Lycius?
9. Quem salvare iubet Lycius?
10. Quid accidit cum pueri in ludo ludunt?

C

1. Cūius gentis est Lūcius ?
2. Quōmodo patrem Lūci appellābat māter ?
3. Estne māior gente familia ?
4. Quis poenās dat ?
5. Quis poenās sūmit ?
6. Quot genera sunt lūdōrum ?
7. Quō aliō modō appellātur alter lūdus ?
8. Quid est praenōmen tibi ?
9. Quid est tibi nōmen ?
10. Num habēs cōgnōmen ?

A (2)

Redde ipsa verba dīcentis (vel dīcentium) :—

1. Dīcō mē Rōmānum esse puerum.
2. Sciō tē īgnōrāre.
3. Intellegis mē nārratūrum esse dē omni meā vitā.
4. Crēdō sorōrēs mox ad lūdum itūrās esse.
5. Sorōrēs salvēre iubeō.
6. Negō licēre nōbīs in lūdō lūdere.
7. Dīcō magistrum poenās ā nōbīs herī sūmpsisse.
8. Putō nōs poenās crās datūrōs esse.
9. Manifestum est nōs nōn satis didicisse.
10. Magister dīcit puerōs esse stultōs.

A (3)

Verte in interrogatiōnem (vel exclāmatiōnem) obliquam cum verbō praeſentis temporis regente :—

1. Quā sevērus est magister !
2. Dē quibus rēbus dīcam ?
3. Quālis sum puer ?
4. Quot annōs nātus sum ?

5. Frequentāsne¹ lūdum ?
6. Vīdistīne librōs meōs ?
7. Utrum Horātium an Vergiliū māvis ?
8. Frēgistīne hanc fenestram annōn² ?
9. Quis recitātūrus est ?
10. Didicitne pēnsum suum annōn ?

A (4)

Verte eāsdem sententiās cum verbō temporis perfecti regente.

A (5)

Verte in interrogātiōnem rēctam :—

1. Rogāvit mē quotā hōrā ē lectulō surrēxissem.
2. Scīō quot sorōrēs habeās.
3. Dīxi ei quid in lūdō facerēmus.
4. Nescit quis hoc fēcerit.
5. Certiōrem eum fēci quando abitūrus essem.
6. Certiōrēs nōs faciunt quis adventūrus sit.
7. Certior fīō quālis fuerit Vergilius.
8. Certiōrēs factī sunt quot annōs nātus essem.
9. Rogāvērunt mē num fēlix essem.
10. Rogat nōs utrum lūdum frequentēmus necne.

B (2)

1. Cūr est pater Lūci Brundisiñus ?
2. Cūr summō est honōre apud cīvēs Brundisiñōs ?
3. Quid et ubi est Brundisiūm ?
4. Ubi est domus nostra ?
5. Per quid domum intrās ?
6. Quis est iānitor ?
7. Iānuā apertā quō imus ?
8. Quid est ātrium ?

¹ ‘ne’ in interrogātiōne obliquā fit ‘num’.

² ‘annōn’ in interrogātiōne obliquā fit ‘necne’.

9. Quid mediō est in ātriō ?
10. Ubi cēnāmus ?

B (3)

Scribe quidquid didicisti dē domō Rōmānā.

C (2)

1. Quid facit magistrātus ?
2. Quid est oriēns ? Cūr ita nōminātur ?
3. Quid est occidēns ? Cūr ita nōminātur ?
4. Quid est meridiēs ? Cūr ita nōminātur ?
5. Quid est septentriō ? Cūr ita nōminātur ?
6. Cūr ita nōminātur impluvium ?
7. Quid est compluvium ?
8. Quid significat vocābulum *Larēs* ?
9. Quid est tablīnum ?
10. Quid est peristȳlium ?

A (6)

1. Cūr intrāmus triclinium ?
2. Cūr sedēbat iānitor in cellā ?
3. Cūr super impluvium erat nūllum tēctum ?
4. Cūr lūdum frequentās ?
5. Cūr iānuam pultāmus ?
6. Cūr habēbant Rōmānī impluvium in ātriō ?
7. Cūr ante portās cellārum dormiunt servi ?
8. Cūr in lūdō numquam lūdō ?
9. Cūr edimus ?
10. Cūr discimus ?

A (7)

Rescribe hās sententiās in tempore perfectō vel imperfectō :—

1. Tēctum est super domum nē pluviae in nōs cadant
2. In lūdō taceō nē magister poenās sūmat.

3. Magister puerum mittit qui sellam quaerat.
4. Magister nōs docet quō sapientiōrēs fīāmus.
5. Intrō tablīnum ut patrem inveniam.
6. In peristyliō lateō nē quis mē invenīre possit.
7. Simulō mē intellegere nē magister stultum mē esse putet.
8. Cibum capiō nē frāter edat.
9. Ē lectulō surgō nē sērus ad lūdum eam.
10. Librō inhiō quō dīligentiōrem mē esse putet magister.

A (8)

Rescribe hās sententiās in tempore praeſentī :—

1. Amīcus advēnit ut apud nōs cēnāret.
2. Ante lūcem surrēxi ut sōlem orientem vidērem.
3. Ientāculum ēdī nē ieiūnus fierem.
4. Manūs lāvī nē sordidae essent.
5. Corpus exercēbamus nē pinguēs essēmus.
6. Ad lectulōs ivērunt ut dormīrent.
7. Pater tablīnum intrāvit ut epistulam scriberet.
8. Prīvātum habēbat conclāve nē nōs molestī ei essēmus.
9. Mater mīsit servum qui ātrium purgāret.
10. Magister mē laudāvit quō magis discere cuperem.

Lūdus.

B

1. Quid est lūdus litterārius ?
2. Quāles alii sunt lūdi ?
3. Quid gerimus cum lūdum frequentāmus ?
4. Quis nōs comitātur ?
5. Quid extrā lūdum fecit scelerātus ille puer ?
6. Quid nōs facere iūssit magister ?
7. Cūr ego tacēbam ?
8. Cūr appellāvit Horātius magistrum suum ‘ plāgōsum ’ ?

9. Ubi stant capsae ? quid continent ?
10. Quales scriptores recitamus in ludo ?

C

1. Qualis est paedagogus ?
2. Qualis sella est cathedra ?
3. Qualis tabula est tabula cera ?
4. Qualis homo rationes ducit ?
5. Quid docet grammaticus ?
6. Quid docet rhetor ?
7. Qualis scriptor versiculos scribit ?
8. Qualis scriptor historias scribit ?
9. Quae pars corporis est umerus ?
10. Quid est virga ?

Dē milite fortissimō sed ignotō.

B (1)

1. Quis prior locos idoneos occupat ? Quando ?
2. Qualem ad locum pergunt Romani ?
3. Quid ostendit tribunus ?
4. Quis ducit quadringentos ?
5. Num periit tribunus ?
6. Scisne nomen tribuni ?
7. Quid consuli dixit tribunus ? Verte per orationem obliquam.
8. Quomodo mortem effugerunt Romani ?
9. Quale monumentum habet tribunus ?

C (1)

1. Quid significat *tribunus* ?
2. Aliter exprime *signum*.

Cēna.

B (2)

1. Quando adveniunt vocātī ?
2. Qui dēdūcunt eōs ?
3. Quō dēdūcunt ?
4. Quibus parantur cēnae ?
5. Quid prōmisiſ pater ?
6. Quō cōnsiliō posteā adfui ?
7. Ēnumerā fercula.
8. Quando secundae appōnuntur mēnsae ?
9. Quō animō servum sequor ?
10. Quid vīdī triclinium ingrēſſus ?

B (3)

1. Quō ūrdine dispositi sunt lecti ?
2. Salūtatis convīvīs quid faciō ?
3. Cūius carmen dēclāmō ?
4. Quantō opere amābat passerem Lesbia ?
5. Quid faciebat passer ?
6. Quō abiit passer ?
7. Cūr rubent puellae oculi ?
8. Quōmodo carmen dēclāmāvi ?
9. Cūius carmen posteā recitō ?
10. Quis erat Issa ?

B (4)

1. Qualis erat Issa ?
2. Quid putābis si queritur Issa ?
3. Quō cōſiliō pictā tabellā Pūblius Issam exprimit ?
4. Quid rogan̄t convīvae ?
5. Quāle praemium accipiō ?
6. Expōne quō ūrdine edenda appōnantur.
7. Dēſcribe triclinium et lectōs.

8. Dēscrībe Lesbiae passerem.

9. Quōmodo cōgnōscere possumus Issae similem esse tabellam ?

C (2)

1. Quid facere solēmus in tricliniō ? Quid in ātriō ?

2. Cūr secundae mēnsae ita appellantur ?

3. Quis erat Orcus ?

4. Quid sīgnificat *catella* ?

Iter.

B (1)

1. Brundisiō relictō ubi habitāmus ?

2. Quid dīcit Horātius dē eīs qui iter faciunt ?

3. Cūr Rōmam profecti sumus ?

4. Quōmodo portāvimus impedimenta ?

5. Quantum dīstat Brundisium Rōmā ?

6. Quō dēvertēbāmus sub noctem ?

7. Quālis erat prīma pars itineris nostri ?

8. Quid igitur nōbīs accidit ?

9. Quālis est pānis Canusī ?

10. Quid pretiō vēnit eō in oppidō cūius nōmen memorīa excidit ?

B (2)

1. Quid ego hīc fēci ?

2. Quid fēcērunt pater et māter ?

3. Cūr ita nōminātur Beneventum ?

4. Quid hīc fēcit hospes ?

5. Quid attulērunt servi ad flammās exstinguendās ?

6. Quōmodo ego et frāter Capuae lūsimus ?

7. Quōmodo accidit ut sanguis ē nāsō meō efflūxerit ?

8. Dē quō nārrābat pater in itinere ?

9. Quōmodo rem pūblicam restituit Fabius Māximus ?

10. Dēscrībe lūsum quem digitīs micantēs lūdimus.

A (1)

Scribe persōnāliter :—

1. Turbātur per domum.
2. Clāmātur.
3. Ululātur.
4. Concursum est ad dēversōrium.
5. Pūgnātum est ācriter.

Scribe aliter :—

6. Servī aquam attulērunt ad flammās exstinguendās.
7. Lūsum eō.
8. Pater et māter dormītum iērunt.
9. Cubitum ibimus.
10. Impedimenta colligimus ad iter faciendum.

A (2)

Rescribe hās sententiās cum cōniunctiōne ‘*cum*’ in locō vocābulī ‘*quia*’ :—

1. Tablīnum intrāvī quia patrem invenīre volēbam.
2. Togam praetextam gerēbat quia speciem praetōris prae sē ferre volēbat.
3. Discessimus quia satis ēderāmus.
4. Tacuī quia magistrum vīderam.
5. Ad dēversōrium dēvertimus quia itineris nōs taedēbat.
6. In lūdō hiābam quia nōn satis dormieram.
7. Quia fessus eram mātrem ūrāvī ut mihi cubitum ire licēret.
8. Abī quam celerrimē quia māter mihi veniam dederat.
9. Magistrum timēbam quia librum meum āmiseram.
10. Tabernam petiit quia iēiūnus erat.

B (3)

1. Quis Fundīs nōs excēpit ?
2. Quālis erat hic praefectus ?

3. Quid māter nōbis nārrābat dum Fundīs discēdimus?
4. Cūr iūssit Iūppiter omnēs avēs convenire?
5. Quālem crētūrus erat rēgem?
6. Quid igitur fēcit grāculus?
7. Quālem speciem prae sē ferēbat?
8. Quid factūrus erat Iūppiter?
9. Quid fēcērunt cēterae avēs?
10. Et quid grāculō accidit?

C (1)

1. Quid significat vocābulum *clītellae*?
2. Cūr ita nōminātur dēversōrium?
3. Quid est culīna?
4. Quā in rē vehimur in itinere?
5. Cūr ita nōminātus est Q. Fabius Māximus Cūntātor?
6. Quid facit praetor?
7. Quālī habitū amicītur?
8. Cūr favendum est linguis apud sacrificium?
9. Quid est conventus hominū?
10. Quid facit caupō?

Iūppiter rēgem avium crēare voluit.

A (3)

Hīs in sententiīs insere verbum omīssum:—

1. Accidit ut Iūppiter rēgem avium crēare . . .
2. In eō erat ut Iūppiter rēgem avium . . .
3. Nullō modō fieri potest ut Iūppiter rēgem avium . . .
4. Iūppiter nōn efficere potuit ut rēgem avium . . .
5. Quōmodo frēbat ut Iūppiter rēgem avium . . .?
6. Avium interest ut Iūppiter rēgem avium . . .
7. Restat ut Iūppiter rēgem avium . . .
8. Accidit ut Iūppiter grāculum rēgem factūrus . . .

9. Nullō modō fieri poterat ut Iūppiter grāculum rēgem . . .

10. Accidit ut cēterae avēs propriam singulae plūmam grāculō . . .

B (4)

1. Fābulā dē grāculō nārrātā, quid rogāvit frāter meus?
2. Quid deinde ego rogāvī?
3. Quid māter respondit?
4. Quid dēmōstrāvit fābula?
5. Cūr ego et frāter fābulam reprehendimus?
6. Quāle oppidum erat Ānxur?
7. Quōmodo inde iter fēcimus?
8. Cūr dormīre nōn poterāmus?
9. Quid māne experrēctī sēnsimus?
10. Quid igitur fēcit pater?

A (4)

Cōniunge in ūnum hās bīnās sententiās additō prōnōmina relātīvō :—

1. Praemium tibi dabō; putō tē esse praemiō dīgnūm.
2. Iūppiter grāculum avium rēgem factūrus erat; putābat eum dīgnissimum esse.
3. Magister reprehendit puerum; putāvit eum nōn attentō esse animō.
4. Mendicō cibum dedī; putāvī eum ēsurīre.
5. Praefectum irrīdēbāmus; putābāmus eum esse glōriōsum.
6. Magistrum timēmus; putāmus eum esse irācundū.
7. Magister mē laudat; putat mē bene fēcissem pēnsum meum.

8. Magister mē laudāvit; putāvit mē bene fēcisse pēnsum meum.

9. Magister irascēbātur; putābat discipulōs lūdere.

10. Magister ā frātre meō poenās sūmit; putat eum esse Ignāvum.

A (5)

Fenestra mihi aperienda est.

vel Oportet mē aperiēre fenestram.

Omnibus est dēscendendum.

vel Oportet omnēs dēscendere.

Scribe aliter :—

1. Iānuā mihi claudenda est.

2. In lūdō nōbīs est discendum, nōn lūdendum.

3. Iter nōbīs faciendum erat.

4. Rōmānīs puerīs prīmā lūce ad lūdum eundum erat.

5. Oportet mē clārā vōce loqui.

6. Oportet tē pēnsum tuum facere.

7. Oportuit nōs tacēre.

8. Oportuit eōs pecūniām solvere.

9. Festinandum erat omnibus.

10. Hic liber omnibus puerīs est recitandus.

B (5)

1. Estne Rōma similis Brundisiō ?

2. Ad portam Capēnam quid oportuit omnēs facere ?

3. Quando per viās urbīs licet equīs vehī ?

4. Cūr nōbīs tamen diē licuit ?

5. Ubi villām habēbat patris mer amīcus ?

6. Cūr in hortōs cēnātī exiimus ?

7. Quālia dīxit Mārtiālis pauca sua iūgera esse ?

8. Quid vidēre potuimus ex hōc locō ?

9. Cūr in tacente essedō vehitur gestātor Flāminiae ?

10. Cūr cupiēbāmus ḍtiō nostrō frui ?

C (2)

1. Quōmodo sunt culicēs nōbis incommodō ?
2. Quālis est homo vīnō madidus ?
3. Cūr stertunt nōnnulli hominēs dum dormiunt ?
4. Quid fert quercus ?
5. Quālibus vehiculis ūtimur in itinere faciendō ?
6. Quid faciunt helciāri ?
7. Quālis est hospes cōmis ?
8. Quando ūtium agimus ?
9. Quando negōtium agimus ?
10. Quid propriē significat carīna ?

Rōma.

B (1)

1. Ubi situm est forum Rōmānum ?
2. Ubi est Iāniculum ?
3. Quid est in forō ?
4. Cūr in lacum dēsiluit Curtius ?
5. Cūr vehuntur ducēs per Viam Sacram in Capitōlium ?
6. Ubi aguntur cursūs equōrum ?
7. Ubi nōs lavāmus ?
8. Quō in locō pūgnant gladiātōrēs ?
9. Cūr ita nōminātur forum boārium ?
10. Ubi spectāmus lūdōs scaēnicōs ?

A

Scribe cum tempore perfectō verbi p̄incipālis :—

1. Vereor nē taedeat tē Rōmae.
2. Timeō nē fessus sis.
3. Nōs discipulī verēmur nē magister irascātur.
4. Timent nē gladiātōrēs sē laedant.
5. Timet nē in balneis summergātur.

Scribe cum tempore praesentī :—

6. Timēbāmus ut possēmus emere holera.
7. Timēbam nē ḥrātiōnem habēret.
8. Verēbar nē in colle āscendendō lāberētur rēda.
9. Verēbāmur ut possēmus rānam in palūde invenīre.
10. Veriti sunt omnes nē multitūdō hominum lintrem dēmergeret.

B (2)

1. Quid rogāvī eum qui rīdēbat dum ego titulum fronti domūs affixum perlegō ?
2. Quid mihi dīxit ille dē domō ?
3. Quāle dīxit esse simulācrum ?
4. Quid dīxi cum audiissem philosophum hanc domum condūxisse ?
5. Quid postrīdiē putābam cum fūnus vidērem ?
6. Cūr poposcit philosophus cērās, stilum, lūmen ?
7. Quid audīvit mediā nocte ?
8. Quid faciēbat effigiēs ?
9. Postquam philosophus locum, quem dēmōnstrāverat effigiēs, effōdit, quid invēnit ?
10. Quid deinde fēcit ?

C

1. Quid fit ex rostrīs ?
2. Quid accidit in Basilicīs ?
3. Quid faciunt negōtiātōrēs ?
4. Ubi est Subūra ? Quālēs hic habitant ?
5. Quid est forum holitōrium ?
6. Quis locat domum ?
7. Quid est contrārium verbī ‘locō’ ?
8. Cūr prōscribimus domōs ?
9. Quid est nēnia ?
10. Quando exsequiās imus ?

Nocturna Lemūria.

B (1)

1. Cūr nōn putat pater et apud nōs esse mānēs ?
2. Cūr celebrat Nocturna Lemūria ?
3. Cūr ūrāvī mātrem ut ad medium noctem mihi licēret pervigilāre ?
4. Quid fēcit māter ?
5. Quando surrēxit pater ?
6. Cūr faciēbat sīgnūm sacrum dum per domum ambulat ?
7. Quōmodo faciēbat hoc sīgnūm ?
8. Quid deinde fēcit ?
9. Quid dīcēbat dum fabās suprā umerūm iacit ?
10. Quid putant hominēs hīs fabīs accidēre ?

B (2)

Dēscrībe Nocturna Lemūria.

C

1. Cūr ita nōminātur mēnsis Māius ?
2. Quid est digitus salūtaris ?
3. Quōmodo appellantur cēterī digitī ?
4. Cūr lūrida est umbra ?
5. Quid propriē significat *fulcrum* ?
6. Ad quid hominēs efferimus ?
7. Quid est sāga ?
8. Quō aliō modō appellantur lemurēs ?
9. Quālis est claudus ?
10. Quid est cyathus ?

Dē mānibus.

B

1. Cūr putat Propertius mānēs esse ?
2. Quālis et vidēbatur Cynthia ?

3. Cūr nōnnumquam condiscipulī mē irridēnt ?
4. Quālis erat patris amīcus qui rūrī habitābat ?
5. Quis eum vesperī vīsit ?
6. Cūr nōn poterat cyathum quaerere ?
7. Quid rogāvit advena ?
8. Quid respondit alter ?
9. Quid deinde dīxit advena ?
10. Quid praecipue imperāvit ei ut faceret ?

Dē somniīs.

B

1. Num omnia sunt somnia vēra ?
2. Utrā ex portā vērae veniunt umbrae ?
3. Quālis est porta altera ?
4. Quid hāc exit ?

Somnium vērum.

1. Quid fēcērunt duo Arcades ?
2. Quō dēvertērunt ?
3. Quid deinde fēcērunt ?
4. Cūr alter alterum ḍrāvit ut sibi subvenīret ?
5. Num alter alterī subvēnit ?
6. Cūr recubuit ?

B (2)

1. Quid alter alterum ḍrāvit ubi iterum cubiculum vīsus est intrāre ?
2. Quid sibi accidisse nārrāvit ?
3. Quid ex alterō petiit ?
4. Quid māne fēcit alter ?
5. Quid ē bubulcō quaesīvit ?
6. Quid fēcit bubulcus ?
7. Quid mortuō hominī accidit ?
8. Quid deinde accidit ?

9. Hāc nārrātā fābula quid dixit frāter meus ?
10. Quōmodo potuit pater prōverbium frātri meō expōnere ?

B (3)

Scribe sine librō fābulam dē somniō vērō.

Trium somniantium fābula facēta.

B (1)

1. Cūr ad templum profecti sunt comites ?
2. Quid eis prōgradientibus accidit ?
3. Quantam ad inopiam redacti sunt ?
4. Quāle cōnsilium iniērunt urbāni ?
5. Cūr posuērunt pānem prope ignem ?
6. Quid deinde prōposuērunt ?
7. Cūr ex ignī pānem sēmicoctum extrāxit rūsticus ?
8. Quid deinde fēcit ?
9. Quid fēcit alter negōtiātor ?
10. Quid alteri dīxit ?

B (2)

1. Quid respondit alter negōtiātor ?
2. Quibus auditīs, quid fēcit rūsticus ?
3. Cūr eum excitāvērunt urbāni ?
4. Quid rogāvit rūsticus ?
5. Quid responderunt urbāni ?
6. Quid deinde rogāvit rūsticus ?
7. Quid responderunt urbāni ?
8. Deinde quid nārrāvit rūsticus ?
9. Hāc auditā fābula quid dīxit frāter meus ?
10. Qualis est fābula ?

B (3)

Scribe sine librō dē tribus somniantibus fābulam.

C

1. Quid est viāticum ?
2. Quid est contrārium verbōrum *dēficere* ? *inopia* ?
3. Quālis est negōtiātor ?
4. Quālis fābula est fābula facēta ?
5. Quid est fār ?
6. Quālis puer praemium accipit ?
7. Quid interest inter Ēlysium atque Tartarum ?
8. Quid est dolus ?
9. Unde negant poētae quemquam redire ?
10. Quis est redux ?

Causae somniōrum.

B

1. Quid dē somniīs apud Tullium in lūdō recitābāmus ?
2. Quibus auditīs quid ego fecī ?
3. Quid respondit magister ?
4. Quid mihi faciendum dedit ?
5. Quid accidit vēnātōrī somniantī ?
6. Quid iūdicibus ?
7. Et aurīgæ ?
8. Et poētae ?
9. Cōnsentitne magister poētae ?
10. Quid putāvit Lūcius dē magistrō suō ?

Magister laqueō suō captus.

B

1. Quid causidicēt videntur in somniīs agere ?
2. Quid imperātōrēs videntur in somniīs agere ?
3. Quid nautae videntur in somniīs agere ?
4. Quando saepenumero discere taedet puerōs Rōmā-nōs ?

5. Quōmodo et discipulis pōdest magistrī admiratiō poētārum ?
6. Quando ē lectulō puerō Rōmānō est surgendum ?
7. Quid sēcum portābant puerī Rōmānī cum lūdum peterent ?
8. Quā rē decolorēs flunt libri ?
9. Quid Lūcius rogāvit magistrum māne lūdum intrantem ?
10. Quid deinde fēcit Lūcius ?

C

1. Quid est mēta ?
2. Quis est causidicus ?
3. Quid est fuligō ?
4. Quid facit calculātor ?
5. Quid facit notārius ?
6. Quae sunt scēptra paedagōgōrum ?
7. Quando ardet Sīrius ?
8. Quis erat Marsyas ?
9. Quid accidit Idibus Octōbribus ?
10. Quid significat prōverbium ‘cornicūm oculōs cōfigere ’ ?

Colloquium cum patre.

B (1)

1. Cūr iterum quaesiū patrem meum ?
2. Quid eum rogāvi ?
3. Quid mē rogāvit pater ?
4. Quid ego respondī ?
5. Cūr nōn poterat pater dē somniis loqui ?
6. Quid prōmisit pater sē factūrum esse ?
7. Intereā quid fēci ?
8. Quid timēbat Suētōnius Tranquillus ?

9. Quid oravit patrem meum ?
10. In somniis interpretandis quid maximē refert ?

B (2)

1. Quale somnium percēpit pater meus ?
2. Quali in iūdiciō erat acturus ?
3. Sed quōmodo cessit actiō ?
4. Quid est cautissimū cūiusque praeceptum ?
5. Quid interest inter iūdiciū centumvirāle atque iūdiciū quod Suetōnius Tranquillus agēbat ?

C

1. Quid est tablīnum ?
2. Quid continent forūlī ?
3. Cūr nōnumquam petunt hominēs ut actiō differātur ?
4. Quōmodo appellātur socrūs marītus ?

B

1. Hāc epistulā recitatā, quid dixi mē velle scire ?
2. Quā rē adductus est pater ut crēderet esse phantas mata ?
3. Quid accidit Curtiō Rūfō dum in porticū spatiātur ?
4. Quid dixit sē esse haec figūra ?
5. Quid de Curtiō Rūfō dixit ?
6. Quid accidit ei dum ē nāve ēgreditur ?
7. Cūr implicitus morbō omnem spem dēposit ?

Māter mente turbāta irruit.

B (1)

1. Quid rogāvit māter mea ubi patrem interpellāvit ?
2. Quis erat Dāvus ?
3. Cūr nō facere potuit māter quīn Dāvō crēderet ?

B (2)

Nārrā quid Curtiō Rūfō acciderit.

A

Verte in tempus perfectum :—

1. Nōn facere possum quīn ei crēdam.
2. Nēmo dubitat quīn diligēns sim.
3. Nōn dubium est quīn Irācundus sit magister.
4. Magister nōn obstat nōbis quīn lūsum eāmus.
5. Magister nōbis obstat quōminus lūsum eāmus.

Et in tempus praesēns :—

6. Nōn facere potuit discipulus quīn rīdēret.
7. Nēmo dubitāvit quīn vēra nārrāret Dāvus.
8. Nōn dubium erat quīn glōriōsus esset praefectus.
9. Nēmo mē impedīvit quīn domum redīrem.
10. Quis mē impedīvit quōminus domum redīrem ?

B (3)

1. Quid sibi vīsus est cernere Dāvus dum in lectulō iacet ?
2. Quid effēcit ut somniō crēderet ?
3. Prīmā luce quid vīdit ?
4. Quid mihi accidit cum haec audiissem ?
5. Cūr simulāvī mē summō terrōre esse affectum ?
6. Potesne expōnere quid rē vērā Dāvō acciderit ?

Laqueō meō captus.

B (1)

1. Quid mēcum reputābam dum in lectulō iaceō ?
2. Quid cōstituī facere ?
3. Quid prōmisit Mārcus sē factūrum esse ?
4. Quid imperāvit nōbis circum sepulcrum saltantibus ?

B (2)

Nārrā quid Dāvō acciderit.

B (3)

Nārrā quōmodo cōnāti sīmus Mārcō persuādēre esse mānēs.

Fābula dē Gabiēnō.

B

1. Quis erat Gabiēnus ?
2. Quid ei accidit ?
3. Cum advesperasceret quid fēcit ?
4. Cūr Pompēium vidēre voluit ?
5. Quid amicis Pompei nārrāvit Gabiēnus ?

Alia fābula inter cēnam nārrāta.

B (1)

1. Quid Corfidiō accidit ?
2. Tēstāmentō apertō quid fēcit frāter ēius ?
3. Quid dīxit alter, plangentium sonitū concitus ?
4. Quid ḫrāvit ?
5. Quid nūntiāvērunt domestici ?

B (2)

1. Hāc nārrātā fābulā quid facere pater servōs iūssit ?
2. Quōmodo rēgnū vīni sortimur ?
3. Quid contigit patrī meō tālōs iacentī ?
4. Quis arbiter bibendī est creātus ?
5. Quid servīs imperāvit ut facerent ?
6. Quid avum meum rogāvērunt servī ?
7. Quā ratiōne vīnum bibimus ?

Patruus meus aliquid nārrat.

B (1)

1. Cūr putāvit patruus meus sordidum et sumptuōsum esse Lupercum ?
2. Cūr aliud genus vīni amicis, aliud libertis, appōnēbat Lupercus ?

3. Quōmodo sine māgnō pretiō Silius omnibus eadem appōnere potuit?

B (2)

Nārrā quid patruō meō acciderit apud Lupercum cēnanti.

A (1)

Rescribe hās sententiās antepositō aut *nōn multum abest* aut *haud multum aberat* in locō adverbii *paene*.

1. Paene in flūmen cecidit.
2. Fenestram paene frēgimus.
3. Paene adest.
4. Paene adsunt fēriae.
5. Hominem paene interfēcit.
6. Magister paene trascitur.
7. Paene perfēci.
8. Rōmam paene pervēnimus.
9. Hōra paene praeteriit.
10. Crūs paene fractum est.

A (2)

Scribe in tempore perfectō :—

1. Magister discipulīs persuādet ut attentō sint animō.
2. Magister facile persuādet puerīs ut domum redeant.
3. Nēmo mihi persuādēre potest ut mentiar.
4. Quis ignāvō persuādēre potest ut operī incumbat?
5. Quis avārō persuādēre potest ut pecūniām largiātur?

Scribe in tempore praesentī :—

6. Nōbis persuāsum est ut abiремus.
7. Persuāsit mihi ut redirem.
8. Nēmo ei persuādēre potuit ut pecūniām redderet.
9. Mārcō persuāsimus ut in sepulcrō dormīret.
10. Illīs persuāsi ut mihi crēderent.

C

1. Quis suō captus est laqueō ?
2. Quālis est classiārius ?
3. Quantum patrimoniū accipit hērēs ex asse ?
4. Quid iacimus ē fritillō ?
5. Quōmodo fuligine tēcta fit vīni amphora ?
6. Cūr pice adstringēbātur cortex ?
7. Quantum interest inter cyathum et amphoram ?
8. Quid est crātēra ?
9. Quis est libertus ?
10. Quāle est dictum facētum ?

Fābula dē Thrasyllō.

1. Cūr nōn poterat Thrasyllus Charitae persuādēre ut sibi nūberet ?
2. Quid igitur facere cōnstituit ?
3. Quālēs ferās numquam patiēbātur Charitē maritum suum vēnārī ?
4. Cūr ūnā profecti sunt Thrasyllus et Tlēpolemus ?
5. Quid ē mediā silvā exsurrēxit ?
6. Quālis erat fera ?
7. Quōmodo canēs interfēcit ?
8. Quōmodo deinde effūgit ?
9. Quōmodo Tlēpolemum allocūtus est Thrasyllus ?
10. Quid deinde fēcit uterque ?

B (2)

1. Aprum cōsecūtus quid fēcit Thrasyllus ?
2. Quid equō accidit ?
3. Deinde aper quid fēcit ?
4. Quid ḍrāvit Tlēpolemus ?
5. Sed Thrasyllus quid fēcit ?
6. Tlēpolemō interfēctō quid fēcērunt servi ēius ?
7. Intereā quid simulābat Thrasyllus ?

8. Quid fecit Charitē cum audivisset Tlepolemum esse mortuum ?

9. Quōmodo servi eam domum reportāvērunt ?

10. Posteā quid frustrā cōnābatur Thrasyllus facere ?

B (3)

1. Fūnere dūctō quid ēgit Charitē ?

2. Quid dē eā crēderēs ?

3. Cūr hoc crēderēs ?

4. Quid tandem ei persuāsit Thrasyllus ?

5. Sed quid deinde eam flāgitābat ?

6. Cum ab hōc prōpositō abhorret Charitē quid facere cōnābatur ?

7. Quid ei accidit tālia recordantī ?

8. Quid dixit umbra ?

9. His dictis quid cōstituit Charitē facere ?

10. Quid igitur Thrasyllo iüssit facere ?

B (4)

1. Quid dedit ei cubiculum ingrēssō ?

2. Deinde quid fecit Charitē ?

3. Nūdō arreptō gladiō quō sē prōripuit ?

4. Quid apud sepulcrum fecit ?

5. His rēbus cōgnitis quid putābat Thrasyllus ?

6. Quid igitur fecit ?

7. Quid clāmabat ?

8. Quōmodo mortem sibi cōscivit ?

9. Hāc nārrātā fābula quid dixit aliis conviva ?

10. Quid omnēs reliqui flāgitābant ?

C

1. Quām pater tuus in mātrimōnium dūxit ?

2. Cui nūpsit māter ?

3. Quālēs sunt canēs vēnātici ?

4. Quid facimus in latebrīs ?

Simōnidēs poēta.

B

1. Quid fēcit Simōnidēs in lītore ?
2. Quid eum monuit umbra ?
3. Cūr hoc eum monuit ?
4. Itaque quid fēcit Simōnidēs ?
5. Quid accidit eis qui iam solverant ?
6. Cūr gāvisus est Simōnidēs ?
7. Quōmodo grātiās ēgit prō tam p̄aeclārō beneficiō ?
8. Quid ego dē hāc fābulā dīxi ?
9. Quid respondit fābulae dē Thrasyllō auctor ?
10. Cuī quid dīxit is qui dē Simōnide nārrāverat ?

Comitēs Ulixis.

B

1. Ēversō iam Īliō ubi appulsus est Ulixēs ?
2. Quid Temessae accidit ūni ex comitibus Ulixis ?
3. Num Ulixēs cōnsilium iniit ut mortem eius ulcis-
cerētur ?
4. Quid posteā Temessēnsibus accidit ?
5. Cūr Delphōs misērunt nūntium ?
6. Quid respondit Apollō ?
7. Quando Temessam vēnit Euthȳmus ?
8. Quid orāvit Euthȳmus cum dē virgine sacrificandā
audiisset ?
9. Quid in templō accidit ?
10. Cūr adeō illūstrēs erant Euthȳmī nūptiae ?

Caesar Rubicōnem trānsit.

B

1. Quid dubitāvit Caesar ?
2. Quid post sōlis occāsum fēcit ?
3. Lūminibus vehiculī exstinctis quid ei accidit ?

4. Quōmodo sub lūcem pedibūs ēvāsit ?
5. Deinde quō contendit ?
6. Cum reputāret quantum mōlīrētur quid adstantibus dīxit ?
7. Quid repente appāruit ?
8. Cūr cōcurrērunt omnēs ?
9. Quid deinde imāgō fēcit ?
10. Quid dīxit Caesar ?

Cubitum eō.

B

1. Quid timēbam dum fābulae nārrantur ?
2. Dum pater nārrat cūius rei mihi cōscius eram ?
3. Quis erat Valerius ?
4. Quid vīdī eum facere ?
5. Cūr hiāre incēpī ?
6. Quid mihi dīxit pater ?
7. Cūr plērumque cubitum ire nōlō ?
8. Cūr illō tempore nōn aegrē ferēbam mē dīmitti ?
9. Quālis numquam potest serēnus esse ?
10. Quid dīcit Horātius dē tālibus ?

Dionȳsius et Dāmoclēs.

B

1. Quis erat Dionȳsius ?
2. Quid in sermōne commemorāvit Dāmoclēs ?
3. Quid eum rogāvit Dionȳsius ?
4. Quid deinde iūssit servōs suōs facere ?
5. Quāles iūssit ad mēnsam cōsistere ?
6. Quid oportuit hōs facere ?
7. Dēscribe cēnam tōtumque apparātum.

8. Mediā inter cēnām quid accidit ?
9. Quae cum Dāmoclēs vidēret quōmodo sē gerēbat ?
10. Quid dēnique ὠrāvit tyrannūm ?

C

1. Quid interest inter iūrgium et rīxam ?
2. Quid in pīstrīnō facimus ?
3. Quālis via est trāmes ?
4. Quid significat harundō ? Significatne alia ?
5. Quōmodo āleā lūdimus ?
6. Quid interest inter avunculum et patruum ?
7. Quid faciunt assentatōrēs ?
8. Quāle est aurum caelātūm ?
9. Quid est lacūnar ?
10. Quid est strāgulum textile ?

Fūnus.

B (1)

1. Cūr pater nōs iūssit vestēs mūtāre ?
2. Quālis erat avus meus ?
3. Quid faciēbat quotiēns eum vīsēbam ?
4. Quando mortem obiit ?
5. Maritō mortuō quid prīmū fēcit avia mea ?
6. Qui sunt pollīctōrēs ?
7. Quid fēcērunt hī postquam cadāver humī dēpo-suērunt ?
8. Quae cum gererentur quid faciēbat uxor ?
9. Deinde cum mūnera sua cūrāvissent quid fēcērunt pollīctōrēs ?
10. Quibus factis quid fēcērunt necessāriī ?

B (2)

1. Cūr trientem ὠrī cadāveris imposuērunt ?
2. Quid postrēmō est factūm ?

3. Cūr ita nōminantur vespillōnēs ?
4. Quis pompam ɔrdinābat ?
5. Cūr aderant praeficæ ?
6. Quid faciēbat archimīmus ?
7. Ut quid putāret frāterculus effēcit archimīmus ?
8. Quālis erat rogus exstrūctus ?
9. Cadāvere rogō impositō quid fēcērunt necessāri? ?
10. Et quid fēcit vātēs ?

Tēstāmentum et līs inde orta.

B (1)

1. Tēstāmentō apertō quid invēnimus ?
2. Quid erat patris hēreditās ?
3. Cūr molestiae initium nōbīs erat ?
4. Quid prīmum cōnātus est pater facere ?
5. Quid fēcit pater cum Libanus in iūs Ire recūsāvisset ?
6. Quid deinde fēcit Libanus nē in iūs Iret ?
7. Quid igitur fēcit pater ?
8. Cūr dēnique Libanus domō est ēgrēssus ?
9. Cum ad forum perventum est quid accidit ?
10. Quid ɔrāvit Libanus ?

B (2)

1. Cūr lēguleium arcessīvit pater ?
2. Cūr vadēs poposcit ?
3. Quid prōmisit pater sē factūrum esse sī fundus sibi redditus esset ?
4. Posterō diē quid putāvit eum nōndum adesset Libanus ?
5. Cur postulāvit ut Libanus satisdaret ?
6. Quid spoondit uterque ?
7. Quid dīxit māter inter cēnam ?
8. Quōmodo iūrāvērunt iūdices ?

9. Quālī habitū amictus est praetor ?
10. Quibus verbis fundum patrī addixit ?

Rūs ītur.

B

1. Posterō diē quid dixit pater ?
2. Cūr grātum mihi vidēbātur esse rūs ?
3. Quālia incommoda Iuvenālis dicit urbi inesse ?
4. Quid nōbis accedit dum per vīcōs vehimur ?
5. Cūr dicit Horātius rūsticōs esse bēatōs ?
6. Quando ad fundum nostrum pervēnimus ?
7. Quis nōs excēpit ?
8. Prānsus quid fēci ?
9. Cūr bēatus mihi vidēbātur esse vīlicus ?
10. Quōmodo intellēxi eum multum errāvisse ?

C

1. Cūr ita nōminātur diēs fāstus ?
2. Qui erant recuperātōrēs ?
3. Quid est sella curūlis ?
4. Quid est metrēta ?
5. Quid gūtō inest ?
6. Quid faciēbant Rōmānī strigilibus ?
7. Quid est pōmērium ?
8. Quid est faenus ?
9. Quid edēbant Pȳthagoreī ?
10. Quid propriē significat lacerta ?

Dē gruibus.

B

1. Cūr abeunt gruēs ex Aegyptō ?
2. Quōmodo per aëra vehuntur ?
3. Cūr flūctuant in aëre ?
4. Cūr in ōre tenent lapidem ?

Dē cervīs.

B

1. Cūr Rhēgium trānsmittunt cervae ex Siciliā ?
2. Cūr accidit ut dēficiant ?
3. Quāle igitur remedium excōgitant ?
4. Quid faciunt cum p̄imā cerva dēfatigātur ?
5. Cūr simulāvī mē vilicō crēdere ?
6. Quid posterō diē fēci ?

Dolus piscātōrum.

B

1. Cūr Syracūsās sē cōntulit Canius ?
2. Cūr voluit hortōs emere ?
3. Quis erat P̄ythius ?
4. Quid fēcit cum audiisset Canium velle hortōs emere ?
5. Cūr ad sē vocāvit piscātōrēs ?
6. Quid postridiē vīdit Canius in hortīs ?
7. Quid igitur voluit facere ?
8. Quantī ēmit hortōs ?
9. Quid posterō diē fēcit ?
10. Deinde quid accidit ?

Ludī magister scelerātissimus.

B

1. Quid solēbant Falisci facere dē puerīs ēducandīs ?
2. Quis ērudiēbat p̄incipum liberōs ?
3. Cūr solebat puerōs ante urbem prōdūcere ?
4. Quōmodo inter hostium stationēs prōgrēssus est ?
5. Quid Camillō dīxit ?
6. Quid respondit Camillus ?

7. Quid pueris dedit?
8. Cūr hās rēs pueris dedit?
9. Quālis societās erat inter Rōmānōs et Faliscōs?
10. Adversus quōs habēbant Rōmānī arma?

Physiōgnōmōn.

B

1. Quid facere potest physiōgnōmōn?
2. Quid magistrum nostrum ḍrāvit Zōpyrus?
3. Quid nōbis imperāvit magister?
4. Cūr nōn facere potuit magister quīn Zōpyrō grātularētur?
5. Quid deinde Zōpyrus magistrō persuāsit?
6. Cūr nōn potuī audīre quid dīceret dum caput magistrī pertractat?
7. Quid igitur fēcī?
8. Cūr nōn invēntī quid dīxisset?
9. Quid deinde fēcīt magister?
10. Quid semper rogābāmus magistrum quotiēns molestiam ei volebāmus afferre?

C

1. Quid facit argentārius?
2. Quid est cymba?
3. Quāles sunt hortī instrūcti?
4. Quid significat nōmina faciō?
5. Cūr opus est scalmis in cymbā?
6. Quid agimus fēriīs?
7. Cūr nautīs opus est saburrā?
8. Quid significat macte?
9. Quālis est physiōgnōmōn?
10. Quālis est tristis magister?

Advena.

B

1. Cum ad villam rediissem quid invēni ?
2. Cūr vēnerat advena ?
3. Qualis erat ille ?
4. Quid oīlim fēcit cum nōn multum abesset quīn com-militō quīdam interficerētur ?
5. Cūr voluī esse mīles ?
6. Quid post cēnam rogāvī patrem ?
7. Quid respondit pater ?
8. Cūr bella longinqua gerere cōguntur nostri ?
9. Cūr Britannōs oppūgnāvit C. Iūlius Caesar ?
10. Quid māximē reī pūblicae interest ?

Pyrrhī medicus.

B

1. Cūr grātiās advenae ēgī ?
2. Cūr omnēs postridiē convēnimus ?
3. Quae cum vīdisset quid dīxit Sulpicius ?
4. Cuī quid respondit frāter meus ?
5. Quid oīlim fēcit Pyrrhus ?
6. Cūr Apollinem cōnsuluit ?
7. Quid respondit Apollō ?
8. Quō responsō auditō quid fēcit Pyrrhus ?
9. Inter quōs erat dē summō imperiō certāmen ?
10. Quid prōmisit perfuga ?

Mārcus Atilius Rēgulus.

B (1)

1. Qualis erat M. Atilius Rēgulus ?
2. Contrā quōs pūgnāvit ?
3. Ā quō victus est ?

4. Cūr Rōmam missus est ?
5. Quid prōmisit sē factūrum esse sī nihil perfēcisset ?
6. Quid Rōmānis persuāsit ?
7. Quid dē Carthāginiēnsibus dixit ?
8. Quid dē sē ipso ?
9. Quid ei cōnāti sunt Rōmāni suādere ?
10. Quid respondit ? Quid posteā ei accidit ?

B (2)

1. Cūr dissēnsit Rēgulus condicōnibus ?
2. Quid dixit sē vīdisse in dēlūbris Pūnicis ?
3. Quando erit ille fortis qui sē hostibus perfidis crēdedit ?
4. Cūr ab sē nātōs parvōs remōvit Rēgulus ?
5. Cum ut exsul properāret Carthāginem quid sciēbat ?

C

6. Quid est fūcus ?
7. Quibus rēbus cervās capimus ?
8. Quid facit tortor ?
9. Quae sunt clientum negōtia ?
10. Quis lītem dīūdicat ?

Theātrum.

B (1)

1. Ubi sēdimus in theātrō ?
2. Quibus licet hīs in ōrdinibus sedēre ?
3. Quid facit dēsignātor ?
4. Quālis erat Nannēius ?
5. Cūr timēbat dēsignātōrem ?
6. Cūr dē eō carmen scripsit Mārtiālis ?
7. Cum ad ultimam sēdem perventum esset quid fēcit Nannēius ?
8. Cūr hoc fēcit ?

9. Ita mihi risum mōvit ut quid facere cuperem ?
10. Cūr putō vōs quoque carmen velle audīre ?

B (2)

1. Quid in theātrō agēbātur ?
2. Quōmodo intellēxi tragoediam nōn placēre spectātōribus ?
3. Quid poposcērunt spectātōrēs ?
4. Quid trāns scaenam cucurrit ?
5. Quid mihi accidit omnia haec spectantī ?
6. Quid aulaeō erat intextum ?
7. Quid putāvī dum aulaeum tollitur ?
8. Quōmodo invēnī gigantas nōn esse vīvōs ?
9. Quid est cucullus ?
10. Quis erat Lēitus ?

Dē alcibus.

B (1)

Adde vocābula lacūnis idōnea :—

1. Tanta erat animālium varietās ut ego —— (mirari).
2. Alcēs prō cubilibus ūtuntur —— (arborēs).
3. Vēnātor animadvertisit quō alcēs —— (sē recipere).
4. Īnfirmae tantō pondere affliguntur arborēs ut —— (decidere).

B (2)

Dēscrībe alcēs.

C

Expōne quid significant vēnātor, cubile, pellis.

Circus Māximus.

B (1)

1. Dēscrībe Circum.
2. Quid facere cōnātur aurīga ?
3. Quid factum est antequam cursus fieret ?

4. Quid primum erat certamen ?
5. Quot factiōnēs erant ?
6. Date factiōnum nōmina.
7. Quis vīcit ?

B (2)

1. Quid dē aurīgīs dicit Horātius ?
2. Dēscrībe curruum certamen.

C

Expōne tuīs verbīs quid significant *quadri*ga, *aurīga*,
factiō, *ferre palmam*.

Leō in arēnā.

B (1)

1. Quālēs erant bēstiārī ?
2. Quālis erat leō māximus ?
3. Quid Androclō vīsō facit leō ?
4. Cūr servus animum recipit ?
5. Quid rogit Caesar ?
6. Quō cōnsiliō Androclus in arēnārum sōlitūdinēs concessit ?
7. Quālem spēluncam vīdit ?
8. Quid prō leōne facit Androclus ?
9. Quamdiū simul vīxerunt ?
10. Quid prō Androclō faciēbat leō ?
11. Quō cōnsiliō profectus est leō ?
12. Quid intellegit Androclus ?
13. Quid dīcēbant hominēs Androclō et leōne vīsis ?

B (2)

1. Finge tē esse Androclum. Dēscrībe quid in arēnā acciderit.
2. Quālis cibus in sōlitūdinibus reperīrī potest ?
3. Quōmodo grātiās leō agit ?

C

1. Dēscrībe vēnātiōnem.
2. Qui viri erant cōsularēs ?
3. Quae erant leōnis blandimenta ?
4. Quid significat grātulābundus ?
5. In latebris quid faciunt hominēs ?
6. Spēlunca quid significat ?

Pugilēs.

B (1)

1. Dēscrībe pugilēs.
2. Quid fēcit Entellus ?
3. Quālēs caestūs gerēbat ?
4. Quid prīmō fēcērunt Entellus et Darēs ?
5. Quid faciunt servī ?
6. Cōfer Darēta cum Entello.
7. Quid fēcērunt spectātōrēs cum Entellus prōcu-buisset ?
8. Quālis rediit Entellus ?
9. Quālis erat Darēs post pūgnam ?

B (2)

1. Dēscrībe pugilum pūgnam.
2. Cūr vicit Entellus ?
3. Finge tē esse Entellum et pūgnam cum Darēte dēscrībe.

C

1. Quid significat caestus ?
2. Ēnumerā et dēscrībe corporis partēs.

Gladiātōrēs.

B (1)

1. Quae verba ante pūgnam solēbant clāmāre gladiā-tōrēs ?

2. Post illa verba quid frēbat ?
3. Quid gerēbat retiārius ? Quid mirmillō ?
4. Cuī favēbant spectatōrēs ?
5. Quid mortis signum erat ?
6. Quis interfectus est ?
7. Quid factum est mirmillōne interfectō ?

B (2)

1. Verte in oratiōnem obliquam :—
 - (a) Moritūrī tē salūtant.
 - (b) Quid mē fugis, Galle ?
 - (c) Piscārī volō.
2. Cum spectatōrēs gladiatōrem interfici vellent, quid faciēbat imperātor ?

C

1. Cūr gladiatōres, rētiārii, mirmillōnēs ita appellābantur ?
2. Ubi pūgnābant gladiatōres ?
3. Spectāculum cūr ita appellātur ?

Dē puerīs in Senātū.

B (1)

1. Quid puerīs nōn licet ?
2. Licebatne anteā ?
3. Quōmodo vestītī introibant ?
4. Quid rogāvit puerum māter ?
5. Quid respondit ille ? Dā ipsa verba.
6. Quōmodo animum mātris puer excitat ?
7. Quāle cōnsilium capit ?
8. Recitā senātūs cōnsultum.
9. Quōmodo sē gessit māter ubi cōnsultum audīvit ?
10. Cēterae mātrōnae quid orant ?
11. Cūr mīrabantur senātōrēs ?

12. Expositne rem bene Papīrius ?
13. Quid placuit ?
14. Quam ob rem cōgnōmen Praetextātī puerō est datum ?

B (2)

1. Quid faciēbat senātus Rōmānus ?
2. Seisne cūr puerī cum patribus in cūriam introīre soliti sint ?
3. Quālis puer erat Papīrius ?
4. Nārrā quid in cūriā factum sit.

C

1. Quid significat *cūria* ? Quid in cūriā faciēbant senātōres ?
2. Expōne quid sit mendācium.
3. Quando est puer praetextatus ?

Lūcius patrī suō salūtem dat.

B (1)

1. Quando Athēnās pervenī ?
2. Quālis erat cursus ? Quālēs erant venti ? Quāle est mare ?
3. Quid videō in cursū ? Quid aliud ?
4. Quōmodo Athēnās Piraeō iter fēcī ?
5. Quōmodo sē habent amita et cōnsobrīnī ?
6. Quālis est urbs ipsa ?
7. Quālēs Rōmae sunt Graeci ? Quālēs Athēnis ?
8. Quid Athēnis faciam ?
9. Cūr ita faciam ?
10. Quid Propertius Athēnis fēcit ?

B (2)

1. Dēscrībe tuīs verbīs iter Lūci Piraeum factum.
2. Cūr prīscī admirandī erant Graeci ?

3. Quālī vītā Athēnīs fruitur Lūcius ?
4. Cūr minus placent Graeci cum Rōmae habitant ?
5. Cūr ad patrem scribit Lūcius ?
6. Quid dē Platōne, Dēmosthene, Menandrō scīs ?

C

1. Quando est ventus secundus ?
2. Quid facit nauseam ?
3. Quid significant vocābula *amita*, *cōnsobrinī*, *patruus* ?
4. Aliter verte *studiis perfectis*.

Fīnis.

B (1)

1. Quid adest ?
2. Quid mē oportet facere ?
3. Quid vōbīs, quid mihi, est faciendum ?
4. Ubi iam discam ?
5. Quid discam ?


B (2)

1. Quid dēbēs facere cum ad finem librī pervēneris ?
2. Quāles puerī dē Puerō Rōmānō discunt ?
3. Cūr Athēnīs potissimum discenda est ars ḥrātōria ?
4. Quid imperat Anglicīs puerīs puer Rōmānus ?

C

Quid significant vocābula *nārrātiō*, *pueritia*, *ars ḥrātōria* ?

OXFORD : HORACE HART M.A.
PRINTER TO THE UNIVERSITY



14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED
LOAN DEPT.

This book is due on the last date stamped below, or
on the date to which renewed.

Renewed books are subject to immediate recall.

3 Feb 58 RKK

RECD ED

JAN 21 1958

FEB 12 1966 83

JUN 9 '66 ZZ RECD

LD 21A-50m-8.'57
(C8481s10) 476B

General Library
University of California
Berkeley

YB 41164
ms. ser.

U. C. BERKELEY LIBRARIES



C045917529

291503

Appleton & Jones

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

